Tum etiam quòd verba juxta subjectam materiam accipienda sunt. At Tridentinum *ibi* de sola fructuum beneficii amissione tractabat. Et ideo hoc tenent *Navar. lib. quinto consil. in 1. edit. titul. de verbo signific. toto consil.* 5. *in 2. lib.* 2. *titul. de jurejur. toto consil. octavo*, *Manuel.* 1. *tomo Summ. in* 2. *edit. cap.* 119. *n.* 7.

10 Sed specialis difficultas, an non profitens fidem infra id bimestre, ita fructus beneficii perdat, ut nulla judicis expectata sententia teneatur eos restituere. Affirmant *Azor. tom.* 2. *instit. moral. lib.* 7. *c.* 2. *q.* 1. *vers. Quares, an ob professionem. & Petr. de Ledesma d. c.* 4. *post* 10. *conclus. diffic.* 1. Ducuntur, quia Tridentinum statuit possessionem huic non suffragari. At si non possideret, nullatenus acquireret fructus. Deinde quia statuit, ne hic fructus faciat suos. Tenetur ergo eos tamquam rem alienam restituere. Quamvis autem hoc sit satis probabile: mihi tamen probabilius est non teneri restituere, donec condemnetur. Ducor, quia *Navar. lib.* 1. *consil. in* 1. *editione, titul. de Summ. Trin. consil.* 3. *num.* 1. *in* 2. *lib.* 2. *tit. de jurejur. consil.* 12. *num.* 1. *& Manuel. q. regu. to.* 2. *q.* 72. *art.* 3. sunt clare hujus sententiæ, dicunt enim hoc decretum esse pœnale, ac proinde, etiamsi pœnam ipso jure irroget, non obligare in foro conscientiæ. Secundò, quia quando Tridentinum vult obligare in foro conscientiæ ad restituendum non expectata judicis sententia, non solis iis verbis, *Fructus non faciat suos*, id explicat, sed ulterius progreditur. Ut constat ex *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* ubi volens non reditur. Ut constat ex *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* ubi volens non redimere obligare ad fructus statim restituendos, sic ait. *Statuit sacrosanta synodus eum pro rata temporis abscentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia alia etiam declaratione non secuta eos detinere posse, sed teneri fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus erogare.* Et Pius V. in motu proprio, in quo non recitantes obligavit ad fructus restituendos, non solùm dixit, ut fructus non faciat suos, sed statim hæc addit: *Sed eos tamquam injustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneantur.* Cum ergo in hoc decreto non processerit ulteriùs Tridentinum, sed illis solis verbis contentum sit, *Fructus non faciat suos*: nec cui sint restituendi designarit, signum est noluisse ante sententiam judicis declaratoriam obligare ad restituendum. 3. quia in dubio non est præsumendum voluisse legislatorem obligare ad pœnam ante sententiam. Ut benè tradunt *Navar. Sum. Hispana, c.* 28. *additione ad num.* 66. *cap.* 23. & *Simancas de catholic. institut. tit.* 9. *num.* 227. Et ratio est, quia in pœnis est benignior interpretatio facienda *cap. In pœnis, de regul. juris in* 6. Nec obstant argumenta contraria. Quia ea verba, *Possessio non suffragetur*, accipienda sunt sicut illa, *Fructus non faciat suos*, nempè, ut secuta sententia declaratoria, fructus non faciat suos: nec possessione aliqua ad eos retinendos juvari possit. Dato autem teneri hunc fructus restituere, vel secuta sententia declaratoria, non existimo intelligi de omnibus fructibus antea perceptis (quamvis *Petrus de Ledesma post eamdem* 10. *conclusionem diffic.* 3. supponat de omnibus illis intelligi.) Sed de solis perceptis eo tempore, quo in culpa fuit, non faciendo fidei professionem: nempe, post prius bimestre ab adepta beneficii possessione. Ducor, quia illius prioris bimestris fructus legitimè acquisierat, feceratque suos. Non ergo propriè diceret Tridentinum, ut fructus non faciat suos, si de illis intelligeret. Item quia cum hæc pœna sit ob culpam omissionis professionis fidei, pro eo solo tempore ligare debet, quo ea omissio culpabilis fuit. Quamvis enim in illius pœnam posset Tridentinum privare quoque fructibus antea perceptis, at id claris verbis exprimere debebat. Item nec intelliguntur distributiones quotidianæ, nisi fructus consistant in solis distributionibus, nec etiam intelliguntur anniversaria. Utrumque docet *Azor. eo cap.* 2. *quæst.* 7. Et restitutio facienda est pauperibus, aut fabricæ. Ut benè *Azor. ibi qu.* 3.

11 Non tamen juvabitur hic omittens fidei professionem, regula de triennali possessore, ne teneatur fructus restituere, vel statim juxta priorem sententiam *n. præced.* relatam, vel juxta nostram, secuta judicis sententia: quantumvis triennio pacificè possederit. Quod ea regula solùm agat de legitimando beneficii titulo, qui aliqua ratione illegitimus erat. Non tamen agit de comparando fructuum dominio perceptorum legitimo titulo, quando ob aliquam rationem deperduntur. Sic tradunt *Navar. lib.* 1. *consil. in* 1. *edit. tit. de Sum. Trinit. consil.* 1. *n.* 1. *in* 2. *lib.* 2. *tit. de jurejur. consil.* 7. *n.* 1. *Manuel.* 1. *tomo Summæ* 2. *editione, in c.* 119. *n.* 7. *Petrus de Ledesma* 2. *to. Summ. tract.* 1. *c.* 4. *post* 10. *concl. diffic.* 7. *Azor. eo c.* 2. *q.* 3.

12 Nec juvabitur hic præscriptione ratione possessionis triennio bona fide illorum fructuum. Quia etsi fructus beneficii præscribantur triennio; ut pote qui res mobiles sunt. Ut alios allegans probat *Covar. regula Possessor.*, 2. *par.* §. 2. *n.* 5. At in hoc casu non sufficit. Quia Trident. statuit, ne huic suffragetur possessio ad fructus acquirendos.

13 Excusabitur tamen hic à prædicta fructuum restitutione, si ignarus prædicti decreti Tridentini omiserit hanc fidei professionem. Quamvis in foro externo prædicta ignorantia, utpote juris clari non admittatur. Quia est in pœnam omissionis culpabilis: sicut ergo ignorantia illa liberat culpa omissionis, sic quoque liberabit pœna. Atque ita docent *Navar. lib.* 1. *consil. in* 1. *edit. titu. de Summ. Trinit. consil.* 1. *n.* 2. & 3. & *consil.* 4. *num.* 2. & *consil.* 3. *n.* 2. *in* 2. *lib.* 2. *tit. de jurejur. consil.* 7. *num.* 2. & 3. & *cons.* 11. *num.* 3. & *cons.* 12. *num.* 2. *Capucinus in privileg. mendic. verbo Professio fidei, notabil.* 2. *Manuel.* 1. *to. Sum.* 2. *editione, c.* 119. *num.* 7. & *qu. regular. to.* 2. *c.* 72. *art.* 3. *Azor. eo c.* 2. *qu.* 2. Quamvis *Petrus de Ledesma d. c.* 4. *post* 10. *concl. diffic.* 2. asserat teneri hunc restituere: quamvis laborarit invincibili hujus decreti ignorantia. Quia dicit decretum hoc non continere legem pœnalem, sed conventionalem. Sicut (ait) ommittens horas ob ignorantiam inculpabilem tenetur fructus restituere. Sed non placet. Quia deberet probare hanc esse legem conventionalem: & similiter non amittet fructus, si absque culpa sua, ipso inscio procurator, cui mandatum profitendi dedit, non professus est fidem. Ut benè ait *Azor. eo c.* 2. *q.* 2. Quia militat eadem ratio.

CAPUT VI.

De disputatione circa res fidei, quando licita sit?

SUMMARIUM.

Explicatur quibus nominibus sit illicita, & quando ratione finis, num. 1.
An licita sit, quando bonus finis non speratur? n. 2.
An laicus de fide disputans peccet mortaliter, & sit excommunicatus? num. 5.
Quid, si laicus ille doctus sit? Refertur opinio, num. 4.
Proponitur sententia auctoris, n. 5.
Qui laicorum nomine in ea prohibitione claudantur? n. 6.
An in necessitate id liceat laico: vel in hæreticorum locis? n. 7.
An Clerico indocto liceat de fide disputare? n. 8.
An disputatio de fide solius exercitii gratia interdicatur laicis? n. 9.
An sit culpa disputare de fide coram imperitis? n. 10.
Quando ex disputandi modo disputatio de fide sit illicita? n. 21.
An regulariter sit illicita cum hæreticis? n. 12.

1 QUatuor nominibus potest disputatio de fide reddi illicita: nempe, ex fine, ex disputantis conditione, ex adstantium conditione, ex disputandi modo. Ex fine potest esse illicita, quando ex dubitatione circa fidei res quispiam disputat, nimirum, quia habet animum dissentiendi, si rationes contrariæ intellectum ejus magis urgeant. Quippe hic est in fide dubius. Sic *D. Tho.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *ab universis receptus* Quod intellige quando fides disputanti est sufficienter proposita, ita ut credere teneatur. Si enim infidelis, cui fides nondum sufficienter proposita est, & subinde credere non tenetur, dubitet de fide, & ad inquirendam veritatem de illa disputet, non peccat. Quia hoc medio instruendus est. Sic docent *Bannez* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *Valent.* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 4. *concl.* 1. Quod optimè ait advertendum pro iis, qui parentibus hæreticis nati incipiunt primò circa fidem instrui.

2 Iniuper redditur illicita ex parte finis, quando ob hæreticorum perfidiam, cum quibus disputatur, nullus bonus finis ex ea sperari valet. Quia est otiosa. Est tamen solùm venialis, nisi aliæ circumstantiæ adjungantur. Sicut, & aliæ actiones otiosæ. At si legitimi adessent judices, posset utiliter hæc disputatio suscipi propter alios. Sic *allegato Eckio* docet *Valen. eo punct.* 4. *in fin.* 1. *conclus.*

3 Ex parte disputantis redditur disputatio de fide illicita, si disputans sit laicus. Quippe id illi sub excommunicationis pœna interdicitur *c.* 2. §. *Inhibemus, de hæret. in* 6. Ea tamen excommunicatio non est lata, sed ferenda. Ut tradit *ibi gl. verbo Innodetur*: quam universi DD. allegandi sequuntur. Quia textus dicit, *Innodetur*. Quod est verbum futuri. Et expressè textus interdicit publicè, vel privatim sic disputare: id est, publicè, vel occultè. Ut explicat *Dominicus eo* §. *Inhibemus, num.* 1. & ex se constat. Quare laicus huic prohibitioni contraveniens peccaret mortaliter. Quia id graviter, & sub excommunicationis pœna ei interdicitur. Sic docent *Cajetan. Summ. verbo Disputatio, in fine, & ibi Armilla, num.* 1. *Navarr. lib.* 5. *cons. tit. de hæret. in* 1. *editione, consil.* 17. *num.* 2. *in* 2. *cons.* 24. *num.* 2. & *Summa, c.* 11. *Hisp. num.* 26. *Lat. n.* 27. *vers.* 5. *Albertin. de agnoscendis propositionibus, qu.* 13. *n.* 12. *Emman. Sa, Summ. verb. Fides, n.* 3.

4 Sed quid, si laicus ille satis doctus sit, ut vel sic disputationem de fide suscipere possit? Quidam censent sub hac prohibitione eum non comprehendi. Quod ejus ratio cesset, nempe laicos ut plurimum esse indoctos. Et (ut ajunt *Bannez*, & *Petrus de Ledesma statim allegandi*) sic est usu receptum, ut laici docti non verbis solis, sed etiam scriptis de fide disserant. Ut fecere *Albertus Pighius*, & *Henricus* 8. Sic docent *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 10. *artic.* 7. *dub.* 1. & *ibi Bannez*, *Petrus de Ledesma* 2. *tomo Summæ, tract.* 1. *cap.* 5. *concl.* 13.

5 Quamvis autem hoc sit probabile, mihi probabilius est, laicum doctum comprehendi. Quòd leges non de iis, quæ raro, sed de communiter accidentibus ferantur, *l. Nam ad ea ff. de legibus.* At quia laici frequenter sunt indocti, ideò prohibitio hæc emanavit. Et quamvis in aliquo casu speciali deficiat, eò quòd laicus aliquid doctus sit: quia tamen finis in communi manet, laicum quoque doctum lex illa ligat, ne disputante docto indocti animam de fide disputandi arripiant. Et sic docent *Glossa eo* §. *Inhibemus, verb. Laica, in fine*, quamvis in principio dubitaverit. *Et ibi Dominicus, num.* 1. & 2. *Francus, numero* 1. *Rosella verbo Infidelis, in fine. Sylv. verb. Disputatio, numero primo. Navar. lib.* 5. *consilit. tit. de hæret. in* 1. *editione, cons.* 17. *nu.* 2. *in* 2. *consil.* 24. *n.* 2. *Castro lib.* 1. *de justa haret. punit. c.* 19. *Albert. de agnoscendis propositionibus, q.* 13. *n.* 12. *Aragon.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *notabili* 2. *Valent.*

2. 2. *disput.* 1. *q.* 10. *punct.* 4. *post* 2. *conclus. Azor. to.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. c.* 26. *q.* 1.

6 Nomine autem laicorum intelliguntur, qui verè laici sunt. Cum decretum sit pœnale. Quare insigniti prima tonsura non comprehenduntur in hac prohibitione: utpote qui non sunt laici: Ut benè ait *Azor. num. praced. allegat.* Nec religiosi quoque quia sunt laici, sed personæ Ecclesiasticæ, etsi ordine careant. Ut benè tradunt *Dominic. & Francus n. praced. allegati.*

7 Non tamen habet locum prohibitio hæc in casu magnæ necessitatis, vel utilitatis, si laicus sit doctus. Ut si esset hæreticus fideles pervertens, nec adessent Ecclesiastici docti, qui fidei partes susciperent. Sic *Aragon d. art.* 7. *nor. ab.* 2. *Valentia n.* 5. *allegat.* Imò in hoc casu teneretur laicus, ut saluti spirituali proximorum consuleret. Ut benè ait *Aragon. ibid.* Atque in locis, in quibus hæretici grassantur, prohibitio hæc laicorum est per contrariam consuetudinem abolita. Ut benè docet *Valentia ibid.*

8 Ex his deducitur clericum quamtumvis indoctum disputantem de fide, non delinquere adversùs hanc prohibitionem. Quòd solos laicos liget. At peccabit contra jus naturæ, ratione periculi in multis errandi, cui exponitur. Sic *Azor. to.* 1. *l.* 8. *inst. moral. c.* 26. *q.* 1. Et quamvis clericis disputare publicè de fide interdicatur *l. Nemo, C. de sum. Trinit.* Cum tamen ea lex civilis sit, ac de rebus spiritualibus disponat, clericos ligare nequit. Ut rectè docet *idem Azor. eo. c.* 26. *q.* 2.

9 Nec laicis quoque quæcumque de fide disputatio interdicitur, sed sola disputatio formalis, idest, quæ ad fidei veritatem persuadendam assumitur: secùs autem si materialis disputatio sit: nimirum quando non persuadendi causa suscipitur, sed exercitii gratia, vel ingenii acuminis ostentandi. Ut sæpè in disputationibus publicis inter Catholicos contingit. Sic enim in decreto pœnali verba formaliter accipi oportet. Ita docent *Cajet.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *dub.* 1. & *ibi Bannez, Aragon. ibi notab.* 2. *Navar. Summ. Latina c.* 11. *n.* 27. *versic.* 5. *Castro l.* 1. *de justa hæret. punit. c.* 19. *Petrus de Ledes.* 2. *to. Summ. tract.* 1. *c.* 5. *concl.* 13. *Valent. num.* 5. *allegat.* Imò *Castro ibi* vult intelligi de disputatione, quæ habetur cum persona hæretica, quæ animo à laico disputante diffidet: secùs quando est inter Catholicos animo concordes in fidei veritate: solis autem verbis contendentes. Quod hæc non sit vera disputatio, sed potiùs ficta. At hoc non placet. Quia omnes Doctores allegati veram, ac formalem fidei disputationem esse intelligunt eam, quæ non solius exercitii gratia suscipitur, sed ad fidei veritatem confirmandam, ac suadendam. Imò talis est, quæ hæreticorum argumenta adducit, ut veritatem fidei iis solutis confirmet. Quia hoc est fidei veritatem persuadere: Sic *Cajet. Bannez, Valentia, Petrus de Ledesma ibidem.*

10 Ex parte auditorum potest disputatio de fide illicita reddi, quando coram simplicioribus etiam exercitii gratia disputatur. Quia imminet periculum, ut illi auditis hæreticorum argumentis, in fide titubent, minusque firmi permaneant. Sic *D. Thom. ab omnib. recept.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. Quòd eò vel maximè verum est, quòd, ut prudenter adnotant *ibi Cajet. Et Valentia* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 4. *post* 3. *assertionem*, simpliciores ferè semper vim argumentorum percipiant, & rarissimè solutionem. At in duplici casu non esset illicitum: Prior est, quando doctor adeò excellens esset, ut commodissimè posset solutiones quoque simplicibus explicare. Sic *Cajet. & Valent. ibid.* Qui meritò subdit hoc rarissimè eventurum propter tarditatem ingenii simpliciorum. Posterior est, quando simpliciores ab hæreticis sollicitarentur ad hæresim. Tunc enim tenetur vir doctus coram simplicibus partes fidei disputando suscipere, ut illi necessitati succurrat. Sic *D. Thom. ibid. ab omnib. receptus.* Extra hos autem casus disputare coram simplicibus est peccatum. Ut omnes cum *D. Thom.* tradunt. Idque ad imprudentiæ culpam spectat. Ut benè ait *Cajet. Summ. verb. Disputatio.* Atque benè animadvertit *Armilla ibi n.* 1. eò majus esse peccatum hoc, quò majus est audientium periculum. At ego credo rarissimè periculum fore tantùm, ut culpam venialem imprudentiæ excedat. Nomine autem sapientium, coram quibus disputare licet, non soli viri Theologi intelliguntur, sed alii quoque ita prudentes, ut meritò ipsius veritatis capaces judicentur, & animadversuri facilè errorem. Sic *Valentia ibidem.*

11 Tandem ex disputandi modo redditur quoque hæc de fide disputatio illicita, quando magis verborum contentione, quàm argumentorum vi, & sententiarum pondere transigitur. Quod non est peculiare in hac disputatione, sed in omnibus aliis reperitur. Et ratio est, quia ad nil utilis est, præter quàm ad pacem perturbandam, & ad prorumpendum in contumeliæ verba. Sic *D. Thom. eodem artic.* 7. *in solutione ad* 1. *Valentia eodem puncto* 4. *in* 4. *conclusione.*

12 Hinc deducitur, regulariter loquendo illicitam esse disputationem de fide cum hæreticis, præsertim cum iis, qui aliquo modo fuere magistri erroris. Quòd tales adeò obstinati sint, & ita impudenter se gerant, ut communiter desideretur aliqua circumstantia necessitatis fidelium ad ipsis subveniendum, ut disputatio licita sit. Sic *allegatis Driedone, & Eckio*, & ita locum *Tertulliani* intelligens docet *Valent. d. puncto* 4. *in fine.*

CAPUT VII.

De hæresi, & apostasia à fide, in quo consistant.

SUMMARIUM.

Explicatur definitio hæresis n. 1.
Pertinacia ad hæresim requisita in quo consistat? n. 2.
An ad pertinaciam desideretur, ut quis existimet contrariam doctrinam esse veram, aut de fide? n. 3.
An desideretur quemdam velle auctoritati Ecclesiæ opponi? num. 4.
An pertinacia sumatur pro obstinatione contra infirmitatem distincta? n. 5.
An sit pertinacia, quando quis paratus est ab Ecclesia corrigi, dummodo argumentis convincatur? num. 6. *Et ibi, quid, si non Ecclesiæ, sed viro docto credere paratus sit?*
An pertinacia hac temporis diuturnitatem petat? n. 7.
Nec est hæreticus, nec apostata, solo exteriori actu à fide deficiens: & potest à quolibet confessario absolvi, num. 8.
Quid, si hæc exterius faceret gratia favendi hæreticis? n. 9.
An ex affectu ad idola illis exterius tantùm cultum exhibens, incurrat excommunicationem, ac cæteras hæreticorum pœnas? num. 10.
An dubius in fide, aut sola opinione illi assentiens, sit hæreticus. Refertur quædam sententia, num. 11.
Sententia Auctoris, n. 12.
An inventus patiens tentationes contra fidem sit hæreticus: & quo pacto superandæ sint? n. 13.
Quæ sint signa contradictionis voluntatis in his tentationibus? num. 14.
Quid distet inter hæresim, & apostasiam? n. 15.
An apostasia differat specie ab hæresi? n. 16.
An apostasia addat circumstantiam necessariò confitendam: & sit exprimenda secta, ad quam apostata transit: & errores quos sequitur hæreticus, sint quoque exprimendi? n. 17.
Apostatæ an incurrant pœnas hæreticorum? n. 18.
An ex ignorantia tressa proferens hæresim sit hæreticus? Refertur quædam sententia, n. 19.
Sententia Auctoris, n. 20.
Quid, si ignorantia sit affectata? Refertur duplex sententia, n. 21 & 22.
Sententia Auctoris, n. 23.
Cujus speciei sit peccatum hæresis dicta ex ignorantia culpabili? num. 24.
An censeatur pertinax, & sic hæreticus, qui credens se benè sentire, non assentitur Inquisitoribus, vel Episcopo, & viris doctis dicentibus contrarium esse de fide? n. 25.
An detur pertinacia sufficiens ad hæresim in homine docto, quæ talis non sit in rustico? n. 26.
An infans baptizatus, nutritusque inter hæreticos, vel infideles, sit hæreticus, vel apostata, negans fidem? Remissive, n. 27.
An sit hæreticus pertinax non credens rem, quam ab Ecclesia definitam esse novit: etsi dicat se paratum corrigi ab Ecclesia? num. 28.
Quid, si ad suam opinionem tuendam paratus quis sit, etiamsi Ecclesia contrarium definiat, n. 29.
Quid, si falsò putans contrarium tenere Ecclesiam, aliquid teneat num. 30.
Quid, si ita firmiter aliquid credat esse de fide, ut Ecclesia contrarium determinanti non sit paratus credere, n. 31.
Quid de non assentienti revelationi speciali sibi factæ, quam à Deo factam credit esse, n. 32.
Quid de negante propositionem Theologicam, quæ evidenter infertur ex propositione de fide, n. 33.
An cathecumenus negans fidem sit hæreticus, ejusque pœnas incurrat, n. 34.
Quid de ficto baptizato, negante fidem, n. 35.
Quid de verè baptizari volentibus, ac baptizatis, qui postea invenientes baptismum fuisse irritum, negant fidem: & an possint ab Ecclesia compelli eam reservare? n. 36.

1 HActenus de præcepto fidei, ejusque confessionis egimus. Jam de hæresi, quæ fidei contraria est, agendum est. Hæresis sic à Theologis definitur. Est error intellectus voluntarius, contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo, qui fidem recepit. Dicitur *error intellectus*, id est, assensus fallsus intellectus. Quia sicut assensus fidei in intellectu consummatur, cum sit assensus intellectus certus, obscurus tamen: sic error fidei contrarius in intellectu completur. Dicitur *voluntarius*, quia sicut assensus fidei oritur ex pio voluntatis affectu: ita etiam hæresis est erroneus assensus ex voluntatis electione profectus. Dicitur *circa aliquam fidei veritatem*, quia error in aliis non est hæresis. Et dicitur *circa aliquam*, ad distinctionem apostasiæ, quæ est totalis recessus à fide. Dicitur *cum pertinacia assertus ab eo, qui recepit fidem.* Quia hæreticus non est qui non pertinaciter dicit aliquid contra fidem: nec qui contra illam sentit, si nondum illam recepit, sed hic dicetur infidelis.

2 Pertinacia autem hæc ad hæresim requisita in eo consistit, ut quis sciens, & prudens teneat aliquid contra Ecclesiam catholicam. Quod tradit *D. August. lib.* 4. *con-*

tra Donatistas, c. 6. & Epist. 164. & D. Thom. 1. p. 32. art. 4. in fin. ab omnibus recept. Et constat ex *c. unic. de sum. Trinit. in 6. & Clem. unic. eodem tit.* ubi tamquam hæretici damnantur præsumentes aliquid contra Ecclesiam tenere. At non dicitur sic præsumens, nisi Ecclesiam contrarium tenere norit. Et ratio est, quia cum hæresis errorem fidei contrarium importet, sicut fidei assensus petit, ut habita notitia propositionis Ecclesiæ, qua aliquam veritatem, tamquam de fide proponit, voluntas inclinet intellectum ad illi assentiendum. Sic è contra hæresis petit, ut habita eadem notitia voluntas ad dissentiendum inclinet intellectum.

3 Non est autem necessarium ad hanc pertinaciam, ut quis doctrinæ, quam veram putat, contradicat. Hoc enim quantum ad actum internum, in quo hæresis consistit, est impossibile. Nec exigitur ut contraveniat doctrinæ, quam credit esse de fide: sed satis est, ut sciens eam veritatem ab Ecclesia proponi, ac de fide credendam, eam neget. Quia tunc novit fundamentum sufficiens ad fidei assensum. Sic *Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 11. puncto 1. difficult. 4. ad 2.*

4 Similiter non desideratur ad hanc pertinaciam, ut quis directè velit auctoritati Ecclesiæ opponi. Sicut ad inobedientiæ culpam requiritur intentio contraveniendi præcepto superiori. Sed satis est, ut quis sciens auctoritati Ecclesiæ, quacumque intentione contradicat: sive cupiditate lucri, sive gloriæ, sive cujuscumque alterius rei ductus. Quia quavis intentione contradicat, negat sufficiens fundamentum ad fidei assensum. Atque propterea verè hæreticus est. Sic *Vasquez 1. 2. q. 76. art. 3. disp. 126. c. 3. in initio.*

5 Quam ob rem pertinacia hæc non sumitur pro obduratione, aut obstinatione, ut distinguitur contra infirmitatem, seu passionem; sed sive ex infirmitate, sive ex passione oriatur contradictio scienter auctoritati Ecclesiæ, satis est ad veram hæresim. Sic *Cajet. 2. 2. q. 11. art. 2. probabili 1. Torres de Trinit. q. 32. art. 4. in 2. commentarii part. post 4. propositionem.*

6 Nec deerit hæc pertinacia, siquis sentiens contra Ecclesiam paratus sit ab ipsa corrigi, dummodo argumentis convincatur. Quippe pertinacia consistit in eo, ut quis Ecclesiæ auctoritati, ac testimonio resistat. Quod invenitur in nolente ejus auctoritati, sed solis argumentis acquiescere. Sic *Torres eodem art. 4. in 2. commentarii par. colum. 2. Vasquez d. c. 3. num. 9. Petrus de Ledesma 2. tomo Sum. tractatu 1. c. 6. post 2. conclusionem, difficultate 1.* ubi meritò addit non esse probabile, quod aliqui dicunt hunc non esse verè hæreticum, etsi fidem amittat. Similiter pertinacia hæc erit, si non Ecclesiæ, sed viro docto assentiri credere paratus sit. Quia eadem militat ratio. Sic *Petrus de Ledesma eodem cap. 6. post 10. conclusionem, difficult. 4. Bannez 2. 2. q. 11. art. 4. dubio 2. in solutione ad 5. contra secundam conclusionem.*

7 Tandem, nec pertinacia hæc consistit in temporis diuturnitate, quo quis auctoritati Ecclesiæ contradicens perseverat. Quippe temporis momento potest hæresis culpa perpetrari, innar aliorum peccatorum. Et ita docent *Cajet. 2. 2. q. 11. art. 2. notab. 1. ubi Bannez col. 2. corol. 1. Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 9. colum. 19. versic. Ratio igitur, & colum. 21. vers. Illud deinde, Corduba in suo quæst. lib. 1. quæst. 17. §. 7. versic. Ubi nota, Torres ad art. 3. in 2. commentarii par. conclusione 3. Valent. 2. 2. disputat. 1. quæst. undecima, puncto 1. difficul. 4. Vasquez d. disput. 126. c. 3. num. 7. Azo. tom. 1. lib. 8. inst. moral. quinto*, tantùm enim vult ex temporis diuturnitate præsumi in foro externo non procedere hæresim ex ignorantia, sed ex vera pertinacia. Reliqua autem ad hanc pertinaciam spectantia consultabunt ex corollariis inferendis à *n. 19.*

8 Ex prima particula definitionis hæresis, nempe, *error intellectus*, deducitur quid sentiendum sit de eo, qui solùm exteriùs negat rem fidei, aut ab ea omnino recedens transit ad aliam sectam, absque errore tamen aliquo intellectus. *Cajet. 2. 2. quæst. 12. artic. 2. in fine, & quæst. 94. artic. 1. ad finem*, cui quidam viri docti subscribunt, teste *Bannez statim allegando*, affirmat hunc excommunicationem, & cæteras hæreticorum pœnas incurrere, quamvis metu cadente in virum constantem neget ore tenus fidem. Ducitur, quòd cum Ecclesia actus internos minimè videat, nec de eis judicare queat: solos externos pœnis afficit. Ut externus clerici homicida, absque occidendi voluntate, sed solo metu compulsus, excommunicatus, & irregularis est. At contrarium tenendum est. Quia censuræ, & reliquæ pœnæ delictum aliquod afficientes, non contrahuntur, nisi ob delictum verum, ac consummatum. At hæreticus, vel apostata solùm exteriùs, non sunt verè tales. Quia deficit error intellectus. Nec est simile de homicidio: utpote quod in solo actu externo consistit, estque verum, ac consummatum homicidium, quocumque metu absque occidendi animo committatur. Et quamvis Ecclesia de solis actibus externis judicet, eosque pœnis afficere valeat. At quando absolutè delictum punit, & illud perfectum, & consummatum non est, deficienti actu interiori, non subditur pœnis Ecclesiæ in id delictum latis. Ratio autem est, quia hoc non est exercere Ecclesiam suam jurisdictionem in actum interiorem, ac illum punire, sed potiùs, quàm posset pœnam soli illi actui externo imponere, temperare, ne illum comprehendat, nisi ab intentione, & prava dispositione interna procedat. Et ideò hanc partem sustinent citatis *Angelo, Sylvest. Armilla, Tabiena & aliis, Sotus 4. d. 22. quæst. 2. art. 3. post 5. conclusionem, casu 1. Navar. Summ. cap. 11. Hispanè, num. 25. Latin. num. 27. & cap. 27. num. 56. Simancas de Cathol. instit. tit. 31. num. 3. Toledo lib. 4. Summæ, cap. 4. num. 6. & in bulla Cœnæ, excommunicatione 1. num. 9. Suarez 5. tomo in 3. par. disputat. 4. sect. 2. num. 22. & disputat. 21. sect. 2. num. 3. Sayro clavi regia, lib. 4. cap. 4. num. 11. Leonardus de justitia, lib. 2. cap. 43. in dubio 2. num. 11. Avila de censuris 1. par. dubio 11. in fine, Valent. 2. 2. disputat. 1. quæst. 12. puncto 1. colum. 2. Azor. 10. 1. lib. 8. institut. moral. cap. 9. quæst. 9. 10. & 11. & cap. 21. quæst. 5. & 6. Bannez 2. 2. quæst. 11. ar. 10. & cap. 21. quæst. 5. & 6. Bannez 2. 2. quæst. 11. art. 4. dubio 2. conclu. 3. & multi alii.* Unde quilibet confessarius poterit ab hoc peccato absolvere. Ut benè docent *Suarez, & Toledo proximè allegati.* Tùm quia non est verè hæresis, aut apostasia. Tunc etiam quia hæresis ratione solius excommunicationis reservatur. At hæresis sola externa, absque errore interno non subjacet excommunicationi.

9 Si tamen quis exteriùs negaret fidem gratia favendi hæreticis, ut hæretici sunt, licèt immunis esset ab excommunicatione contra hæreticos lata, incurreret tamen latam contra hæreticorum fautores in bulla cœnæ. Sic *Navar. Summa cap. 11. Hispanè num. 25. Latinè num. 27.*

10 Similiter idolis externum cultum sua sponte, & ex affectu ad idolum exhibens, absque mentis errore, etsi ab excommunicatione in apostatas lata liber sit, at incurrit alias, & cætera hæreticorum pœnas præter bonorum publicationem. Ut constat ex *quadam extravaganti Joannis XXII*, quam refert *directorium inquisitorum 2. par. quæst. 43. post num. 9.* Quia hic, etsi non sit verus hæreticus, est tamen verus idololatra. Et ita docent *Bannez 2. 2. q. 11. art. 4. dubio 2. immediatè ante 4. conclusionem. Aragon. secunda secunda, quæst. 12. art. 1. colum. 5. conclus. 2. Petrus de Ledesma 2. tomo Summ. tract. 1. cap. 6. conclus. 14.* Quod intellige, si illa extravagans usu recepta sit. Nam (ut refert *Aragon. proximè allegatus*) nonnulli dicunt eam usu receptam non esse. Dixi autem *sua sponte, & ex affectu ad idolum.* Nam si metu, vel non ex affectu, sed ex avaritia, vel ex alia causa, non constat hunc esse excommunicatum per illam extravagantem. Nam etsi *Bannez proximè allegatus* id affirmet: at meliùs *Petrus de Ledesma ibidem* hoc negat. Quòd non sit verus idololatra, qui non ex affectu idola reveretur.

11 Secundò deducitur, quid sentiendum de dubio in fide, cum pertinacia tamen, quia novit Ecclesiam aliquid tamquam de fide amplecti, & adhuc de ejus veritate dubitat. Quidam hunc verè hæreticum, ac proinde omnibus hæreticorum pœnis obnoxium dicunt. Quia *c. 1. de hæretic.* dicitur dubius in fide infidelis. Secundò, quia cum hic assensum certum perdat, in quo fidei subsistantia consistit, perdit subinde fidem. Quæ tamen ab homine baptizato perdi nequit, nisi per hæresim. Tandem, quia error in fide cum pertinacia in baptizato est hæresis. (Ut *n. 1.* diximus.) At hic errat in fide, utpote qui certa pro incertis, & dubiis habet. Quod est errare, *teste D. Augustino in Enchiridio, cap. 17. & 19.* Atque ita sustinent *Joan. Andr. d. c. 1. num. 1. Abb. num. 1. atque communiter ibi Doctores, Gabriel. 4. d. 13. q. 2. art. 1. notab. 3. Angelus verbo Hæresis, initio, Sylvest. verbo Hæresis 1. q. 3. Cajetan. 2. 2. quæst. 11. art. 2. notabili. 1. & Summa, verbo Interrogatio, in 1. præcepto. Castro lib. 1. adversus hæreses, toto cap. 10. & lib. 1. de justa haret. punit. cap. 9. regula 1. in fine, Corduba in quæst. lib. 1. quæst. 17. §. 7. versic. Secundum requisitum, & versic. Ubi not. Simancas de Cathol. inst. titu. 31. n. 4. Torres de Trinit. quæst. 32. art. 4. in 3. commentarii par. assertione 5. Penna latissimè in directorio inquisitorum 2. p. toto commentario 1. Aragon. 2. 2. quæst. 11. art. 2. dubio 2. Valentia 2. 2. disputat. 1. quæst. 11. puncti. 1. difficultate 2. Toled. in Summ. lib. 4. c. 4. in fine, & in bulla Cœnæ, excommunicatione 1. num. 6. Azor. tomo 1. lib. 8. instit. moral. cap. 9. quæst. 5. & multi alii.* Atque idem dicunt *Castro eo cap. 10. in initio, Torres, & Aragon. eisdem locis, Azor. eo cap. 9. quæst. 6.* quando quis solo assensu opinativo assentitur rebus fidei. Quia hic quoque assensus fidei certitudinem excludit,

12 Alii verò negant eum hæreticum verè esse, ac proinde eum excommunicatione, ac cæteris hæreticorum pœnis liberant. Ducuntur, quia *D. Aug. lib. de utilit. cred. c. 1.* & refertur *c. Hæreticus 24. quæst. 3. & D. Hyeronym. ad Galat. cap. 5. & ad Titum cap. 3.* & refertur *c. Hæresis 24. quæst. 3. & D. Thom. 1. ad Corinth. 11. lectione 4. & 2. 2. quæst. 11. art. 2. ad 3.* ajunt de ratione hæresis esse electionem pertinacem doctrinæ contrariæ veritati fidei. At dubitans nullum habet assensum fidei contrarium: nec alteruram partem eligit, sed pendulus est. Id enim est dubitare. Et confirmatur, quia hæresis est error fidei contrarius: (Ut *n. 1.* diximus.) Error autem assensum, vel dissensum importat. Qui in dubitante non reperitur. Tandem, quia fides, & hæresis sunt duo extrema. Illa assensum rerum fidei importat. Hæc autem dissensum. At dubium est medium inter illa, utpote quod nec assensum, nec dissensum includit. Nec obstant contraria. Non primum, quia respondet *Canus statim allegandus*, dubium in fide dici infidelem *eo c. 1. de hæret.* non contrariè, quasi assensum fidei contrarium habeat: sed privativè, quia privatur certitudine assensus necessaria ad habitum fidei retinendum. Vel secundò poslet responderi, intelligi quo ad fori externi præsumptionem. Quia communiter cum eo dubio conjungitur consensus erroneus. Vel tertiò potest responderi, intelligi quando dubitans reflectitur supra suum actum. Ut statim dicemus. Nec etiam obstat secundum argumentum. Quia respondet benè *Canus* dubium in fide ammittere verè fidem, at eam non amitti per solam hæresim, sed per dubium quoque, quod inter hæresim, & fidem est medium. Sicut color albus non per solum nigrum expellitur, sed per medios quoque. Nec obstat tertium. Quia dubitans omni assensu, vel dissensu caret. Atque ita nullum judicium erroneum format, sed est pendulus. Et ideò hanc partem latissimè defendit *Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 9. colum. 9. à versic. Controversantur autem. Emmanuel Sa. Summa, verbo Hæresis num. 1.* Et hæc sententia est probabilior, intellecta tamen, ut debet intelligi, nimirum, quando intellectus utriusque partis rationibus perpensis pendulus est, nullumque judicium format. Quod est verè, & formaliter intellectum dubium manere. Nam si supra suum dubitandi actum reflectitur, judicans illam fidei rem esse dubiam, aut sub opinione esse: nemo negare potest esse hunc dubitantem, aut opinantem, perfectè hæreticum. Quòd tunc ultra dubium adsit consensus, & judicium intellectus affirmantis rem fidei non esse certam. Quod est aperta hæresis. Et ita hoc explicant *idem Canus eo cap. 9. colum. 12. versic. Errare autem, Bannez 2. 2. q. 11. art. 2. colum. 2. versic. Respondetur, quod sicut, Vasquez 1. 2. q. 19. art. 6. disput. 65. cap. 1. n. 4.* Unde moraliter loquendo cum dubitatione intellectus circa res fidei solet esse conjunctus hic actualis error, quo illas non omnino certas esse judicat. Atque ita hæresis communiter adest. Sic *Cannseo cap. 9. colum. 15. vers. Quid ergo. Valent. num. praced. relatus.*

13 Tertio deducitur ex particula definitionis hæresis, *Voluntarius*, non esse hæreticum, nec alicuius culpæ reum, qui invitus cogitationes blasphemas, turpissimas, & hæreticas contra Deum, & Sanctos patitur, quamvis sibi videatur consentire. Quia deficit plena voluntas. Et ita fatentur universi. Atque hæc ex dæmonis suggestione provenire ad conscientiarum bonarum tranquillitatem impediendam, & ut a Christi via deterrizæ retrocedant, probat optimè *Torres de Trinit. q. 32. art. 4. in 2. commentarii p. in fine.* Quòd rarissimè flagitiosis eæ tentationes accidant: quia eos vinctos, & quasi suos dæmon possidet, sed viris bonæ mentis viam Christi aggredientibus. Quare sanum consilium est, & convenientior has tentatione vincendi modus, eas prorsus contemnere, & habere se illas patientem, ac si nihil menti occurreret. Quod egregiè docet *D. Bonav. opusc. de profectu religiosorum, in cap. 3.* his verbis: *Tentationes contra fidem, & de spiritu blasphemia, & similes nec fugere possumus, nec repugnando vincere. Quia quanto plus indignamur nobismetipsis, & disputamus cum eis, magis refricatur earum rabies, & accenditur.* Et *Gerson tract. de fouda tentatione, alphabeto 62. lit. O usque ad literam T* de hoc tractat, & ait remedium esse eas irridere. Quod tribus appositissimis similibus, & exemplo quodam comprobat.

14 Signum autem defectus consensus est. Quia has tentationes patiens judicat se hæreticum. At hæreticus esse nequit hoc judicans. Hic enim eo ipso judicat esse falsum, & hæreticum, quod dæmon sibi proponit: & cum verum sit id falsum esse, vere judicat, ac proinde hæreticus esse durante hoc judicio nequit. Atque ita docent *Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 10. in initio, Bannez 2. 2. q. 11. artic. 2. column. 4. corol. 4. Petrus de Ledesma 2. to. Summæ, tract. 1. cap. 6. post 3. conclusionem corol. 2.* Similiter est signum moraliter certissimum dissensus, quòd sic vexati in ipsomet conflictu, ingenti pœna afficiantur: quasi odio habentes errorem, ac veritatis Catholicæ amantissimi. Ita *Bannez, & Petrus de Ledesma ibidem, Alcozer. Summa cap. 14. vers. El que duda.* Qui benè addit etiam dissensus signum, quando ea tristitia afficiuntur, cum primum tentatio illa transiit. Qui enim pertinacia ad hæresim requisita illi adhæreret neutiquam tam facilè resipisceret.

15 Quartò deducitur ex particula definitionis hæresis, *contra aliquam fidei veritatem*, differentia inter hæresim, & apostasiam à fide. Quòd hæresis non sit totalis à fide recessus, apostasia autem sic. Quod tradunt omnes. Quare, qui non omninò Christianismum deserit, sed se Christianum confitetur, quantumvis hæreses multipliçet, ac omnes fidei articulos neget, non apostata, sed hæreticus est. Ar ubi Christianismi nomen, ac totam religionem deserit, est apostata. Ut benè tradunt *Canus l. 12. de locis Theolog. c. 9. colum. 5. versic. Sed primum argumentum, Hugolinus de censuris Pontifici reservatis, 2. p. c. 1. §. primo, n. 7.*

16 Diffident autem Doctores, an apostata dicatur ejus hæreticus, ac apostasia specie ab hæresi differat. Quidam ajunt specie differre. Ut *Sylvest. verbo Hæresis 1. q. 2. dicto 4. Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 9. colum. 3.* Alii dicunt esse ejusdem speciei infidelitatis: atque ita omnem apostatam esse verè, & propriè hæreticum, non tamen è contra. Quare tantùm differunt penes magis, & minùs. Et hoc est verius, quod tenent *Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 11. puncti. 1. difficultate primo, & quæst. 12. puncto 1. notabili 1. Bannez 2. 2. q. 12. art. 1. dubio 1. & multi alii.* Quod optimè ita explicant *Valent. eisdem locis, & Bannez eodem dubio 1. in solutione ad 2.* In apostasia (inquiunt) duo possunt considerari. Prius est recessus penitus à fide semel suscepta. Et hoc est veluti proprium, & essentiale apostasiæ. Posterius autem est conversio ad sectam aliquam falsam, ut Judaismum, Paganismum, &c. Et hoc est accidentale. Quippe prius absque posteriori reperiri potest, ac erit vera apostasia. Et ideo per se, & essentialiter non differt ab hæresi. Quare dum *D. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. ad 3.* ait apostasiam non esse determinatam infidelitatis speciem, sed pertinere ad illam, quam apostata sectatur: considerat apostasiam materialiter, & per accidens, ut potest conversionem ad varias sectas habere.

17 At utramvis opinionem sequamur, duo fatenda sunt: & ideò meritò quæstionem hanc de nomine appellat *Valent. statim allegandus.* Prius est, circumstantiam apostasiæ notabilissimè aggravare peccatum hæresis, ac proinde necessario in confessione explicandam. Quod dicit esse absque controversia *Valent. 2. 2. disput. 1. q. 10. punct. 3. colum. 2. vers. His ita explicatis, & q. 11. punct. 1. diffic. 1. vers. Nihilominus tamen. Petrus de Ledesma 2. tom. Summæ tract. 1. cap. 7. conclus. 3. Bannez. 2. 2. q. 12. art. 1. dubio 1. post solutionem ad 4. Aragon. 2. 2. q. 11. art. 1. dub. 1. concl. 1.* Quod in *hoc posteriori loco allegato* dicit *Valent.* verum esse, non solùm quia intra eamdem speciem notabiliter aggravat, sed quia materialiter etiam includit aliam infidelitatis speciem: (ut *num. praced.* declaratum est) nempe paganismi, aut judaismi, ad quam apostata se convertit. Quippe quantum est in apostatæ intentione situm, is vult paganismum, aut judaismum sectari, instar Paganorum, ac Judæorum. Quod idem significat *Bannez* dicens apostatam esse reum sectæ, ad quam se convertit; ultra peccatum hæresis: & *Aragon. concl. 4.* dicens esse hoc duplex peccatum. Ac proinde ait benè *Valentia in priori loco ex ipso allegato*, esse necessario fatendam qualitatem sectæ, ad quam apostata transit. Imò & in ipsa hæresi docet *ibi Valent.* esse explicandam in confessione qualitatem erroris, in quem incidit. Quia multùm refert, an quis Trinitatem negarit: an Paulum fuisse Hierosolymæ.

18 Posterius est: excommunicatio, & cœteræ pœnæ in jure statutæ hæreticis, incurruntur quoque ab apostatis. Quòd verè heretici sint. Ut fatentur *Doctores omnes juris Pontificii, c. 1. de apost. Summistæ omnes verbo Apostasia.* Atque *illis citatis, Azor. tom. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 21. quæst. 7. Simancas de cathol. institut. titul. 7. n. 6. Cajetanus Summa verb. Apostasia, Valentia 2. 2. disputat. 1. qu. 12. puncto 1. notabili 2. & omnes.*

19 Quintò deducitur ex particula definitionis hæresis, *cum pertinacia assertus*, quid dicendum sit de habente errorem circa res fidei ex ignorantia crassa, qua putat id non esse contra Ecclesiæ definitionem. Quidam affirmant, hunc verè hæreticum esse, ac proinde si hæresim ex ea ignorantia proferat, subjici excommunicationi, ac aliis hæreticorum pœnis. Ducuntur, quòd ignorantia hæc in aliis delictis minimè excuset ab excommunicatione, ac aliis pœnis ipsis annexis. Sic ferè expresè tenet *D. Bonavent. 4. quæst. 13. in expositione litera, n. 7.* & expresè tenent *Sotus 4. d. 22. q. 2. art. 3. post 5. conclus. casu 1. Palacios 3. d. 25. disp. 2. Ludovicus Lopez 2. par. instructorii, ubi de excomm. c. 20. titul. de reservatis Papæ in Bulla Cœnæ, casu 1.* Et quando ita crassa est ignorantia, ut facillimo negotio possit superari (in quo naturam ignorantiæ crassæ consistere diximus *lib. precedenti c. 17. n. 7.*) idem docet *Sayr. in thesauro casuum, to. 1. lib. 3. c. 4. n. 15.* Atque *Valent. 2. 2. disput. 1. q. 11. puncti. 1. diffic. 4. post solutionem ad 4.* dicit se non valde repugnare huic sententiæ, etsi contraria sit probabilis.

20 At omninò dicendum est, ad hoc hæresim non sufficere: quamvis hic mortaliter peccet, utpote qui à peccato non excusatur ea ignorantia. Quòd pertinacia in eo consistit, ut quis testimonio, & auctoritati Ecclesiæ opponatur. Ut *n. 2.* probavi.) At ignorans etiam crassissimè ei non opponitur, sed paratus est corrigi, quando ipsam contrarium tenere norit. Item quia in aliis delictis, ut in homicidio, furto, &c. ut verè talia delicta sunt, non requiritur scientia tamquam circumstantia ex parte objecti petita, sed sola ratione generica, ne peccata tamquam involuntaria à culpa excusentur, & ideò cum ignorantia culpabilis non tollat voluntarii rationem, sed tantùm minuat, sunt verè talia, ac pœnis censuriisque subjecta, ubi ex tali ignorantia committuntur. At in hæresi petitur scientia determinationis Ecclesiæ, tamquam circumstantia ex parte objecti se tenens. Quia absque illa non est pertinacia, quæ est de hæresis ratione: & ideò illa ablata per ignorantiam crassam, etsi maneat sufficiens voluntarium ad culpam, non tamen ut vera sit hæresis. Atque ita docent *Canus lib. 12. de locis Theol. c. 9. colum. 21. vers. illud deinde confectarium est, Castro lib. 1. de justa haret. punitione c. 9. & lib. 2. c. 18. Navar. Summa cap. 11. Hispanè n. 17. Latinè n. 22. Torres de Trinit. q. 32. art. 4. in 2. commentarii par. asser. 1. Corduba in quæst. lib. 1. q. 17. §. 7. Azor. tomo 1. lib. 1. institutionum moralium c. 14. q. 9. & multos referens lib. 8. cap. 9. q. 7. Vasquez multis allegatis 1. 2. q. 76. art. 3. disp. 126. c. 2. in initio, Enriquez lib. 13. de excommun. cap. 17. n. 3. in commento, litera Z. Manuel. 1. tomo Summ. 2. editione cap. 130. num. 2. Navar. lib. 2. de restit. cap. 4. dub. 9. in nova editione n. 84. Toledo in Summa, in Bulla Cœnæ, excommunicatione 1. n. 5. & lib. 4. cap. 3. num. 7. Bannez 2. 2. q. 11. art. 2. colum. 3. corollario 2. Aragon. ea. q. 11. art. 1. col. 7. vers. Dico secundò, Zumel. 1. 2. q. 76. art. 4. disp. 1. paulo ante 5. conclus. Petrus de Ledesma 2. to. Summæ, tract. 1. c. 6. concl. 4. Sayro in clavi regia, lib. 2. c. 9. n. 34.*

21 Major autem difficultas est, quando ignorantia est affectata. Nam multi affirmant eam à vera hæresis ratione minimè excusare. Quòd affectatus error sit ex electione: nec paratus corrigi sit, qui data opera commonitionem Ecclesiæ, ejusque doctrinam declinat. Deinde, quia cum hæc ignorantia non minuat peccatum, sed aggravet (ut diximus *lib. praced. c. 17. n. 5.*) si error scienter admissus est vera hæresis, à fortiori erit cum hac ignorantia. Et ita tenent *Canus, & Navar. n. 89.* ubi eos allegavi *num. praced. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 11. punct. 1. diffic. 4. in solut. ad 1.* Et videtur tenere *Corduba. & Torres n. praced. allegati*, dicunt enim non esse hæreticum errantem ex ignorantia, quando non est affectata.

22 Aliis videtur hunc non esse verè hæreticum: ac proinde ejus pœnas evadere. Ita tradunt *Arag. 2. 2. q. 11. art. 2. col. 8. vers. Propter hæc argumenta, Bannez ead. q. art. 2. col. 3. vers. Sed quæret quis, Azor. to. 1. lib. 1. institut. moral. c. 14. q. 9. vers. Sed quæret quis, Azor. to. 1. lib. 1. institut. moral. c. 14. q. 9. Petr. de Ledesma 2. tom. Sum. & I, 8. c. 8. q. 4. & c. 9. q. 8. Petr. de Ledesma 2. tom. Sum. tract. 1. c. 6. post 4. conclus. diffic. 2. Sayr. n. 20. relatus.*

23 Sed utra opinio sit verior, ex fine affectantis ignorantiam pensandum est. Si enim eam affectet ex falsa opinione contra Ecclesiam: quia, nimirum, parvi momenti esse existimet quæ ipsa proponit, est verus hæreticus. Quod error hic sit perniciosissimus contra Ecclesiæ auctoritatem: ac satis illi pertinax est affectans ignorare, quæ ipsa proponit, ejus auctoritatem despiciens: ac proinde hic non est paratus ab Ecclesia corrigi. Et ita docet *Vasq. 1. 2. q. 76. art. 3. disp. 126. c. 2. ad fin.* Similiter erit hæreticus, si ignorantiam affectet ad finem liberius errandi in fide. Quia sic recedere ab Ecclesia est magis voluntarium: Et sic reperitur pertinacia, & nolle illi subjici. Et quia hujusmodi ignorantia non minuit, sed peccatum aggravat (ut diximus *l. præced. c. 17. n. 5.*) Et ita docet *Zumel. 1. 2. q. 76. art. 4. disp. 1. paulo ante 5. conclusionem.* Et in his casibus erit vera prima opinio relata, *n. 21.* Si autem ignorantia hæc affectetur tantùm ex negligentia, & tædio addiscendi: non erit verus hæreticus. Ut benè ait *Vasquez ibid.* Et similiter si affectetur ex quavis alia causa, præter duas dictas. Ut benè ait *Zumel. ibidem.* Et in hoc casu est vera posterior sententia *numero præcedenti* relata. Quia in hoc casu deest pertinacia: nec hic offendit auctoritatem Ecclesiæ: quin potiùs paratus est ab illa corrigi. Atque contrarium assereret, si id quod sentit, nosset esse contra Ecclesiam. Item quia hæc ignorantia affectata minuit rationem culpæ. Ut (diximus *eodem c. 17. n. 5.*) Tandem, quia nemo tamquam hæreticum damnaret affectantem ignorare, non fornicandum ob tuendam vitam, jejunandum esse, ac abstinendum à carnibus in Quadragesima, non emenda esse beneficia: quò liberiùs, & absque conscientiæ remorsu peccata hæc perpetraret: si ea ignorantia ductus affereret hæc non esse peccata: nullatenus id dicturus, si Ecclesiam docere nosset. Cum talis nil contra Ecclesiam tenere velit: sed ab ipsa corrigi paratus sit. Quare talis error, ut est contra Ecclesiæ doctrinam, non est ex electione. Et per hæc patet solutio ad contraria proposita, *n. 21.*

24 Id autem peccatum, quod quis ex ignorantia culpabili proferens hæresim admittit, etsi non sit verè, & propriè hæresis, reducitur ad illam. Sicut cætera peccata ex ignorantia commissa reducuntur ad eam speciem, cujus esset, si scienter committerentur, quando ignorantia culpabilis est. Quod est conforme iis, quæ diximus *lib. præcedenti c. 17. num. 15.* Atque ita tenent *Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 9. colum. 23. vers. Quibus argumentis, Cordub. in quæstion. lib. 1. q. 17. §. 7. vers. Ex quo sequitur, Torres de Trinitate, q. 32. art. 4. in 4. par. commentarii in fine, Valent. 2. 2. disp. 1. q. 11. punct. 1. diffic. 4. in solutione ad confirmationem primi, & ad tertium.* Quamvis aliter sentiat *Vasq. dict. disp. 126. c. 3. num. 9.*

25 Sextò deducitur, quid sentiendum sit de doctrina *Bart. l. Tutor, §. Tutores, n. 1. ff. de suspect. tutor.* quem sequuntur *Rebuffus traxi benef. in Bulla Cœna excommunicatione 1. art. 1. verbo Hæreticos, vers. Quærèt quis, Hugolinus de censuris Pontifici reservatis 2. p. c. 1. §. 1. num. 10.* ubi docent pertinacem censeri, qui ab inquisitore fidei, vel à suo Episcopo, addit *Rebuffus*, vel à viro Theologo per dominos Inquisitores, vel Episcopos ad doviro Theologo per dominos Inquisitores, vel Episcopos ad docendum destinato instructus de re fidei, illis non credit assertens contrarium: ac proinde dicunt hunc hæreticum esse, quamvis existimet se contra Ecclesiam non sentire. *Castro* autem *lib. 1. de justa haret. punitione, cap. 9. paulo post principium, & regula 2.* etsi hanc doctrinam non sequatur, ait tamen pertinacem dici, ac proinde hæreticum, qui persistit in errore, quem admonitus tenetur sub reatu culpæ mortalis dimittere. At neutrum placet, sed dicendum est neutquam reperiri pertinaciam requisitam ad hæresim, dum quis existimans se non contravenire Ecclesiæ, aut Pontifici, defendit hæresim, quamvis non acquiescat Episcopo, Inquisitoribus, & viris doctis contrarium asseverantibus: & quamvis temerarius sit, ac mortaliter peccet, illis non acquiescens. Ratio est, quòd solius Ecclesiæ, ac Pontificis sit, res fide tenendas definire: cœteri autem, & fallere, & falli possunt. Cum hic ergo certæ regulæ fidei non contradicat, minimè erit pertinax ac consequenter nec hæreticus. Ita docent *Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 9. colum. 17. vers. At quid pertinacia, Torres de Trinitate, quæst. 32. art. 4. in 4. par. commentarii, statim in principio, Valent. 2. 2. disp. 1. quæst. 11. puncto primo, difficult. cipio, Valent. 2. 2. disp. 1. quæst. 11. puncto primo, difficult. tertio, quarta. Vasquez prima secunda, quæst. 76. articul. tertio, disputat. 226. cap. 3. num. 7. Sayr. thesauro casuum, tom. 1. lib. 3. c. 4. n. 17.*

26 Imò, optimè ait *Toled. lib. 4. Summ. c. 3. n. 8.* quandoque inveniri pertinaciam sufficientem ad hæresim in homine docto, quæ talis non esset in rustico. Quia doctus erit pertinax, quoties tenet aliquid contra traditiones Apostolicas, aut Ecclesiæ, Pontificisve definitionem. Quippe has certas fidei regulas esse novit. At rusticus sæpè non erit pertinax, credens aliquid, quod scit esse contra traditiones Apostolicas, aut Pontificis determinationem, dummodò credat non esse contra Ecclesiam, paratus ab ea corrigi. Quod hic non teneatur scire in particulari illas esse certas fidei regulas, & hæc sit ratio illi credendi, ut credat quidquid tenet Ecclesia.

27 An verò censeatur pertinax, & hæreticus, aut à fide apostata, qui baptizatus, ab infantia nutritus est inter infideles, aut hæreticos, & sic amplectitur infidelitatem & hæresim, quas edoctus est: & quando censeatur illi fides sufficienter proposita, ut deinceps non credens sit hæreticus; diximus *hoc lib. 2. c. 1. num. ultimo.* At hic tamquam verè baptizatus potest ab Ecclesia compelli, ut fidem audiat, & sufficienter sibi propositam amplectatur. Ut notatur communiter à DD. in tractatu *de Baptismo.*

28 Septimò deducitur, pertinacem, ac verum hæreticum esse, qui sciens aliquid esse ab Ecclesia definitum non credit, etsi se paratum esse per Ecclesiam corrigi dicat. Quia verè non est paratus per illam corrigi, cujus definitionem manifestè impugnat. Sic *Navar. Summa, cap. 11. Hispanè, n. 17. Latinè, n. 22. Castr. lib. 1. contra hæreses, cap. 9. ad finem, Torres de Trinitate, q. 32. art. 4. in 6. p. commentarii in fine.*

29 Octavò deducitur, esse quoque pertinacem, ac verum hæreticum, qui in nondum ab Ecclesia definitis amplectitur eo animo aliquam partem, & ita tenaciter, ut ita affectus sit, & paratus ad illam tuendam, ut Ecclesiæ contrarium definienti non acquiescat. Quia etsi pars, quam tuetur, hæresis non sit: at eo ipso, quòd Ecclesiæ aliter docenti resistere paratus est, credit Ecclesiam posse errare. Quod est hæreticum. Sic *Cajetan. in Summa, verbo Hæresis, Navar. num. præced. allegatur, Vasquez 1. 2. quæst. 76. art. 3. disp. 126. c. 3. n. 8.* ubi optimè advertit non satis esse dispositionem habitualem, sed opus esse aliquo actu elicito. Quia ob dispositionem habitualem nemo peccare dicitur, nisi in actum prodeat.

30 Nonò deducitur, similiter esse hæreticum pertinacem, qui falsò putans aliquid esse ab Ecclesia definitum, contrarium sentit. Quia tunc formaliter a fidei ratione recedit, credens non in universum esse vera definita ab Ecclesia. Ita *Enriq. lib. 13. de excommunic. c. 17. n. 3. Bannez 2. 2. q. 11. art. 2. col. 4. corol. 3. Aragon. ea qu. 11. art. 1. col. 6. vers. Hoc constituto, Sayr. thesauro casuum, tom. 1. lib. 3. c. 4. n. 14. Petrus de Ledes. 2. to. Summæ tract. 1. c. 6. post 3. conclus. corollar. 1.* Nec approbo, quod ait *Simancas de Catholic. institut. tit. 31. n. 9.* Nempe hunc gravissimè peccare, at non judicandum hæreticum in foro externo. Quod nil contra fidem asserat. Sed melius dicunt *Enriq. & Sayr.* hunc hæreticorum pœnas incurrere. Quia verè aliquid de fide negat, nempe Ecclesiam esse certam fidei regulam, nec fallere, nec falli potentem. Nec obstat, credentem falsò se percutere clericum, cum verè is laicus sit, non incurrere excommunicationem. Quia hic non est verus clerici percussor. At ille est verus hæreticus.

31 Decimò deducitur, esse quoque pertinacem hæreticum, qui alicui opinioni tam firmiter, tamquam de fide tenendæ adhæret, ut Ecclesiæ eam non esse de fide determinanti non sit paratus acquiescere. Constat ex dictis duplici *num. præced.* Ita *Castro lib. 1. de justa haret. punit. dub. 4. Cordub. in quæstion. lib. 1. quæst. 17. §. 7. dub. 2.* Hæc autem præparatio, & dispositio ad non credendum, debet esse per aliquem actum elicitum. Ut *num. 29.* in simili diximus.

32 Undecimò deducitur, quid dicendum sit de non assentiente revelationi speciali sibi factæ, quam divinam putat. Quidam putant hunc admittere peccatum infidelitatis, non tamen hæresis. Ducuntur ex doctrina *Soti lib. 3. de natura, & gratia, c. 11. in 3. argumento*, dicentis huic speciali revelationi non præstari assensum per habitum fidei Catholicæ omnibus communis: sed per aliam fidem particularem, non minùs tamen certam. Sic *Cordubaing. lib. 1. q. 17. §. 1. dub. 2. colum. 5. vers. respondet magister. Manuel. in Bulla Cruc. §. 9. n. 74. Vivaldus candelabro Sacram. in ultima editione anni 1602. in Bulla Cœna, casu 1. n. 30.* Et addit *Cordub.* hunc non incurrere pœnas hæreticorum. Quod additum sequitur *Azor. to. 1. l. 8. inst. moral. c. 9. q. 4.* quamvis dicat hunc coram Deo esse verè hæreticum. Et reddit rationem, quòd Ecclesia suas pœnas solis hæreticis statuerit, qui ea, quę omnibus ipsa proponit credenda negant. Cujusmodi non sunt specialiter alicui revelata. At censeo hunc verè hæreticum esse. Quod tradunt *Vega lib. 9. de justificatione, c. 3. & Catharinus Apolog. de certitudine gratiæ, c. ult.* Existimo quoque hunc omnes hæreticorum pœnas subire. Quia etsi Ecclesia non proponat eam revelatam illi, credendam omnibus, nec huic credendam: at proponit omnibus credendam summam Dei veritatem, quam hic negat, ejus revelationi fidem non habens. Sicut *n. 30.* diximus de negante, quod putat ab Ecclesia propositum esse tamquam de fide credendum, cum tamen non sit.

33 Duodecimo deducitur, quid dicendum sit de negante propositionem Theologicam, quæ per illationem evidentem infertur ex propositione de fide, & principio naturali. Ut *Christus est risibilis. Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 9. colum. 15. vers. Enimverò, & Valentia 2. 2. disputat. 1. q. 11. puncto 1. diffic.* 3. ajunt hunc esse hæreticum, non directè, & immediatè, sed indirectè, & reductivè. Sicut & ipsa propositio non est secundùm se, & immediatè de fide, sed mediatè. Quia hic eo ipso errat contra fidem, nam consequenter cogitur ex natura rei propter illationis evidentiam negare premissam de fide. At melius dixit *Cordubain quæstion. lib. 1. quæst. 17. §. 7. dubio 3. notabili 3.* hunc præsumi hæreticum in foro externo. Quia non præsumetur errare in principio naturali, *omnis homo est risibilis*: sed in vera Christi humanitate. Quare benè dixit *Aragon. 2. 2. q. 11. art. 2. column. 3. vers. His tamen non obstantibus*, illum non fore hæreticum, si earn propositionem neget, non dubitans de vera Christi humanitate: sed quòd principium naturale non credat in universum esse verum: aut vim illationis ignoret.

34 Decimotertiò deducitur, ex ultima particula definitionis hæresis, *ab eo qui fidem recepit*, quid dicendum sit de cathecumeno negante fidem. Quibusdam placet eum esse verum hæreticum. Quod fidem semel receptam deserat, etsi illam nondum in baptismo professus sit. Ita docent *Castro lib. 1. de justa haret. punit. c. 8. Bannez. 2. 2. q. 11. art. 2. Suar. 5. to. in 3. par. disp. 21. sect. 2. num. 4.* At contrarium verius est. Quia cum solemniter in baptismo fidem professus non sit, non est verè hæreticus per recessum à fide, sed infidelis. Atque ita docent *Aragon. 2. 2. q. 11. art. 2. dub. 3. Toledo lib. 4. Sum. c. 3. num. 5. Hugolinus de censuris Pontifici reservatis, 2. par. c. 1. §. 1. num. 2. & 3. alios referens. Sayr. Thesauro casuum, tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 11.* Sive tamen unam, sive alteram sententiam amplectamur, dicendum est eum nullis hæreticorum pœnis subjici. Quod excommunicationis capax non sit, nec Ecclesiæ jurisdictioni subditus, cujus membrum factus non est per baptismi susceptionem. Quod contra *Castrum* dicentem hunc, & hæreticum puniendum, etsi non tam acriter, fatentur *Suarez, & Sayr. allegi, Simanc. de Cathol. instit. tit. 31. num. 6. Azor. to. 1. lib. 8. inst. moral. c. 9. q. 3.*

35 Atque idem ob eamdem rationem dicendum est de fictè baptizato recedente à fide. Quamvis Ecclesia fictionis ignara eum tamquam hæreticum puniat. Ratio est, quia cum baptismus irritus fuerit, nec hæresis, nec censuræ, nec subjectionis Ecclesiæ capax est, ut ejus pœnis subjiciatur. Sic *Sayr. n. præced. allegatus.*

36 De iis autem, qui verè baptizari voluerò, ac baptizati sunt, sed baptismus fuit irritus defecta legitimæ materiæ, aut legitimæ intentionis ministri, & putantes se verè baptizatos se ut tales gessere, sit major controversia, an si postea à fide recedant, sint veri hæretici, & ut tales puniondi. Affirmant quidam. Quia ad hoc satis est, ut se tamquam baptizatos gesserint, ac fidem in baptismo ex parte suæ intentionis valido professi sint. Ita *Gabriel. 4. d. 13. q. 2. art. 1. notabili 3. Castro lib. 1. de justa haret. punit. c. 8. dubio 3. Simanc. de Cath. instit. tit. 31. num. 5. Azor. to. 1. lib. 8. instit. moral. c. 9. q. 3.* Addit. *Simanc.* hos pœnas hæreticorum incurrere. At verius est non esse hæreticos. Quod docent *Hugolin. de censuris Pontifici reservatis, 2. par. c. 1. §. 1. n. 3. in fine, Sayr. Thesauro casuum to. 1. lib. 3. c. 4. n. 11.* Quare nec excommunicationem, nec alias hæreticorum pœnas incurrent. Quia verè baptizati non sunt. Addit *Sayr.* probabile esse posse hos ab Ecclesia cogi ad verum baptismu suscipiendum. Cum jam ex parte sua illud susceperint. Quod libenter fateor, non tamquam probabile, sed tamquam verissimum. Quod etiam *aliis relatis* tenet *Enriqu. lib. 2. de baptismo, c. 25. n. 6.*

CAPUT VIII.

An soli hæreticus, & apostata externi incurrant excommunicationem, & cœteras hæreticorum pœnas: & per quem actum dicantur externi?

SUMMARIUM.

An hæreticus mentalis incurrat excommunicationem, & cæteras pœnas? Refertur quædam sententia, n. 1.

Sententia auctoris, n. 2.

Peccatum hæresis mentalis potest à quovis confessore absolvi, num. 3.

An Pontifice, vel Episcopo peccatum hæresis reservantibus, censeretur hæresis mentalis reservari? n. 4.

An sola hæresis censura reservetur: peccatum autem ipsum per accidens, & ablata censura possit quivis confessor à peccato absolvere, vel confessori concessa potestate circa censuram: & quid, si hæreticus externus absolvatur bona fide à non potente absolvere, an absolutio valeat quo ad peccatum, & idem in aliis casibus Pontifici reservatis? n. 5.

Sat est ad excommunicationem, ac cæteras hæreticorum pœnas hæresim verbo, aut signo exterius manifestari, esse occultissimè, num. 6.

Explicantur conditiones petita, ut signo, verbo, aut scripto dicatur hæresis manifestata, ita ut sit externa? num. 7. Et ibi excommunicatio lata ob delictum non afficit illud, quando secundùm operis externi quantitatem non est mortale; sed ex sola relatione ad intentionem operantis.

Explicantur actus positivi, & negativi petiti, ut hæresis sit externa à n. 8. usque ad 16.

Quid, si actus manifestans hæresim, non sit mortalis seclusa mala intentione? n. 17.

Quid, si hæresi motus exercent bona opera, aut mala omittat? num. 18.

Explicatur, quid quando non malo animo, aut joco hæresis dotegitur, à n. 19. usq. ad 21.

Quid, si quis dicat se habere animum recedendi à fide? n. 22.

Quid, si legendo, narrando, disputando, scribendo hæresim aliorum, quam ipse etiam tenet, referat, aut transferibat? n. 23.

Quid, si tempore somni, aut ebrietatis hæresim proferat? n. 24.

Quid, si dicat se quondam hæresim credidisse? n. 25.

Quid, si verbis æquivocis hæresim proferat? n. 26.

1 QUidam dicunt hæreticum purè mentalem incurrere excommunicationem in hæreticos latam. Quia cum peccatum hoc iola mente consummetur, credendo pertinaciter hæresim, hic est perfectè hæreticus. Hujus sententiæ videntur esse *Gl. Clem. 1. §. Verum, verb. Eo ipso, de haret. ubi & Cardin. n. 8. q. 7. gl. 23. q. 1. in Summ. verb. Qui verò, Gesfr. Sum. tit. de haret. nu. 2. Abb. in proœm. Decret. verb. Rex pacific. nu. 6. in fin. & c. Extirpanda, in repititione §. Qui vero, num. 21. de prabend. & c. fin. nu. 1. in fin. de haret. & c. 2. num. 13. de offic. ordin. Felin. eo c. fin. statim in princ. & c. Porro, statim in princ. de sent. excom. Repertor. Inquisitorum verb. Pœna, vers. Pœna ipso jure*, ajunt enim hæreticum quantumvis occultum incurrere excommunicationem. Et tenent expressè, quamvis solo corde retenta sit hæresis *Gloss. c. Cogitationis, verb. Patitur, & Pœnit. d. 1. Steph. & Paul.* quo refert, & sequitur *Imol. Clem. 1. num. 18. de haret. Bald. l. Si quis non dicam. 5. num. 1. vers. Venio ad oppositiones C. de Episc. & cler. Anan. c. Si quis Episcopus, num. 7. vers. Istud tamen, de haret. Hippol. l. Qui falsam, num. 13. ff. de falsis, Felin. c. 1. num. 7. de præsumpt. & tractatu quando conatus punitur, num. 6. vers. Fallit. 3. in 4. casu, Rosel. in Summ. verb. Absolutio 1. num. 29. & verb. Excommunicatio 1. casu 1. num. 1. & verb. Hæreticus, nu. 14. Adrian. 4. q. 2. de confessione, quæ incipit, Restat nunc inquirere, §. Alii probant. vers. Sed hujus rationis, & quod lib. 8. q. 1. littera G. Albertin. de agnoscendis assertionibus, q. 33. n. 27. 29. & 32. Girald. Carrer. Bonifac. Botta*, quos retert, & sequitur *Zaval. in sui commun. opinion. tom. 2. q. 698. à num. 9. Decian. in sua practica, in 1. par. lib 5. c. 41. num. 2. Rojas de haret. par. 1. à num. 246. usque ad 270. & p. 2. assertione 27. nu. 313. Cantera in suis quæst. crim. tit. de quæstionibus tangentibus punitionem, cap. 1. num. 8. Vela de pœnis delictorum, c. 14. versic. Juro verò canonic. Menoch. de arbitrar. lib. 2. centuria 4. casu 360. nu. 6. & 7.* Et videntur expressè sentire *gloss. c. penult. verbo Tuo, de sentent. excomm. in 6. Hostiens. c. Mulieres ad finem, de sentent. excommun.* ubi dicunt habentes solo corde ratam percussionem clerici ligari quo ad Deum, etsi non quo ad Ecclesiam, quæ de occultis non judicat. Et *Locatus in suo Inquisitorum judiciario, verbo pœna, num. 5. in fine, & Bursatus consil. 14. num. 12. in fine, vol. 1.* ubi dicunt hæreticum mentalem esse in foro poli excommunicatum, secùs in foro fori. Et quamvis *Cantera, & Zavallus proximè allegati* dicant secùs esse de aliis pœnis temporalibus, at *Baldus, Ananias, Hippolytus, Bursatus proximè allegat. & Felinus c. 1. num. 7. de præsumpt. & tractat. quando conatus punitur, num. 6. versic. Fallit tertiò in 4. casu*, tradunt hunc hæreticum mentalem incurrere quoque alias pœnas. Atque incurrere amissionem bonorum tradit *Surdus de alimentis, tit. 9. q. 33. num. 7. in fin. & 8. q. 32. num. 4. & decis. 247. num. 12. & 13. p. 1.* Atque hæreticum occultum perdere bona tradunt etiam *Peregrinus de jure fisci, lib. 5. titu. 1. num 170. & Menochius consil. 218. num. 7. volum. 3. & cons. 185. nu. 8. volum 2.* non tamen explicant hi duo, quando ita occultus est, ut sit omnino mentalis. Et tandem quæstionem hanc, an hæreticus mentalis incurrat pœnas, agitavit utrimque *Archid. cap. penult. ad finem, de sentent. excomun. in 6.* & dubius non decidit.

2 At verissimum est nullum hæreticum, vel apostatam incurrere excommunicationem, aut alias pœnas, nisi verbo aliquo signo, vel facto, hæresim in mente latitantem explicet. Quia etsi hæc peccata consummentur verè, & perfectè in sola mente: at nequit Ecclesia punire excommunicatione, aliisve pœnis fori externi delictum qualecumque, nisi aliquo modo externo manifestetur. Quia Ecclesia jurisdictione judicandi de omnino occultis caret: & quamvis id posset, minimè expediret recto, & suavi Ecclesiæ gubernationi. Pro hac sententia est *Dominicus, c. Perpetua, num. 6. versi. Super dubio, de elect. in 6.* ubi ait electionem criminosi omnino occulti valere, eo quod Ecclesia non judicet de occultis. Et *Tiraquel. l. Si mulierem, verbo, Revertatur, in nova editione, num. 295. versic. Tertium quod non longè*, ubi relata priori sententia, concludit, *tu tamen omnino vide Dominicum in loco hoc*, & sic apertè sentit idem. Et in propriis terminis docent *Paludan. 4. d. 13. quæst. 3. artic. 1. conclus. 8. num. 15. Major. in 3. dist. 25. quæst. 3. in fine, D. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 4. statim in princ. Driedo de libertate Christiana, lib. 3. ca. 5. ad finem, Angelus in Summa, verbo Hæreticus, num. 2. Sylvest. verbo Excommunicatio 7. casu 2. num. 4. notabilis 2. in fine, Armilla verbo Excommunicatio, inter casus excommunicationis, casu 9. in fine, Tabiena verbo excommunicatio 3. in casu 4. n. 4. quæst. 5. Cajet. Summ., verbo Hæresis, fine, & 2. 2. quæst. 11. artic. 3. in fine, sotus 4. d. 22. quæst 2. artic. 2. colum. 3. versic. Hoc autem supposito, & artic. 3. post. 5. conclusionem, casu 1. Castro lib. 2. de justa haret. punitione, cap. 18. paulò post principium, & de lege pœnali, lib. 2. cap. 15. in corollario, quod infert ex 1. propositione, Navarr. c. Cogitationis, num. 8. & 10. de pœnitent. d. 1. & Summa cap. 11. Latinæ, num. 22. Hispana, num. 17. & cap. 27. in utraque, n. 56. Covar. regula Peccatum 2. par. in initio, nu. 7. Martinus de Ledesma 2. par. 4. quæst. 21. artic. 6. colum. 3. versic. Sed hæsitabis, Palacios 4. d. 5. disputat. 1. colum. 4. Capenvillus tractatu de casibus reservatis par. 2. ca. 1. quæst. 2. versic. 5. Simancas de Cathol. institut. titu. 42. à nu. 3. Julius Clarus in sua practica, lib. 5. §. Hæresis, num. 23. Azeved. lib. 8. Recopil. tit. 3. lib. 1. nu. 155. Villagut. de extensione legum, tit. de judice, & judicio, multiplicique ejus spe-*

specie, §. 10. *n.* 56. & *tit. de extensione legum pœnalium inflictarum hæreticis ad eorum filios*, *n.* 96. *Gutier. quæst. canon. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 28. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *fol.* 341. §. *Propter hæc argumenta*, *vers. Ex his colligitur*, *Bannez. eadem quæst.* 11. *artic.* 4. *dubio* 2. *conclusione* 1. *Bursatus consilio* 289. *n.* 13. *volum.* 3. *Hugolinus de censuris Pontificiis reservatis*, *par.* 2. *cap.* 1. §. 1. *n.* 16. & *tractatu de censuris Eccles. tabula* 1. *cap.* 9. §. 12. *n.* 3. *Toledo in fine Summæ*, *in excommunicatione* 1. *Bullæ Cœnæ*, *n.* 8. *Manuel. in Bulla Cruc.* §. 9. *n.* 71. & *in motu proprio Pii V. interdicentis ingressum fœminarum in monasteria virorum*, *num.* 27. *Vivald. in candelabro Sacrament.* 2. *par. in Bullam Cœnæ*, *casu* 1. *num.* 2. & *part.* 1. *tit. de absolutione*, *n.* 10. *Sayr. de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 21. *Perez. lib.* 1. *ordinam. tit.* 1. *l.* 1. *colum. penult.* *paulo ante vers. Dubitari etiam potest*, & *lib.* 8. *tit.* 4. *l.* 3. *colum.* 4. *versic. Quæri insuper solet*, *utrum hæreticus occultus*, *Bartholomæus de Ledesma de confessione*, *dubio* 16. *fundamento* 2. *in fine*, *Ludovic. Lopez par.* 1. *instructorii conscientiæ*, *cap.* 41. *paulo post principium*, & 2. *par. ubi de excommunicatione*, *cap.* 20. *in casibus Bullæ Cœnæ*, *casu* 1. *Suarez* 5. *tomo in* 3. *par. disputat.* 21. *sectione.* 2. *num. secundo*, *Bartholomæus à Medina* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *fol.* 879. *paulo ante* 2. *conclusioncm*, *Graffis in suis decisionibus* 1. *par. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. *Pennain addit*, *ad Rojas de hæretic.* 1. *par. n.* 246. *Humanda lib.* 13. *gloss.* 11. *n.* 1. *in fine*, *tit.* 5. *par.* 1. *Petrus de Ledesma* 2. *tomo Summæ*, *tractatu* 1. *cap.* 6. *conclusione* 9. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *disputat.* 160. *cap.* 5. *num.* 22. *Valentia* 2. 2. *disputat.* 1. *quæst.* 11. *puncto* 3. *ad finem*, *Manuel.* 1. *to. Summæ*, *in* 2. *editione cap.* 131. *n.* 1. *Enriquez lib.* 6. *de pœnitentia*, *c.* 14. *n.* 6. *Emmanuel Sa in Summæ*, *verbo Excommunicatio*, *in casibus Bullæ Cœnæ*, *num.* 3. *Azor. to.* 1. *inst. moral. lib.* 8. *c.* 10. *q.* 3. & *lib.* 5. *cap.* 10. *quæst. unic. versic. His constitutis*. *Stephanus de Avila de censuris*, *par.* 1. *dubio* 10., *concl.* 1.

3 Hinc fit, hæreticum mentalem posse à quocumque confessore absolvi. Quia ratione solius censuræ hæresis reservatur Pontifici; at hæreticus purè mentalis eam non incurrit. Quod est conforme Doctoribus allegatis, *num. precedenti*. Et in propriis terminis tradunt *Sotus* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *colu.* 11. *versic. Utrum verò. Manuel in Bulla Crucis*, *Cajetan. in Summa*, *verbo Hæresis*, *in fine*, *Suar. Gutierez relati n. præcedenti*, *Simancas*, *Covar. Aragon. statim allegandi*. Quare dum *instructio* 1. *Hispalensis*, *cap.* 6. *pro Inquisitoribus*, tradit hæreticum omnino occultum esse secretò reconciliandum, & absolvendum, non intelligitur de hæretico omnino mentali, sed de eo qui hæresim externè, occultissimè tamen manifestavit. Quippe purè mentalis nec reconciliatione, nec Inquisitorum absolutione indiget, sed à quovis confessario absolvi potest. Atque ita eam instructionem explicant *Covar. regula Peccatum*, 2. *par. in initio*, *n. septimo*, *Simancas de Catholicis institut. tit.* 32. *n.* 17. *Gutier. quæst. canonicis*, *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 8. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *colum.* 10. *vers. Ad ultimum*.

4 Hoc temperant aliqui Doctores, ut intelligatur de reservatione hæresis, quæ modo extat in *Bulla Cœnæ Domini*, quæ ratione solius censuræ excommunicationis *ibi* contra hæreticos universos latæ sit: nam si Pontifex, vel Episcopus, vel alius reservare potens, reservarent hæresis peccatum, censeretur hæresis interna reservata. Quia ferè universi Doctores fatentur Ecclesiæ integrum esse peccata interna, ac solo corde retenta reservare: eò quod reservatio non habeat veram, & propriam rationem pœnæ, sed est negatio, vel ademptio jurisdictionis absolvendi in foro interiori. Cum igitur in prædicto casu reservent sibi superiores illi peccatum hæresis, eaque in sola mente latitans potiatur tota sua consummata perfectione, censebitur reservata. Sic tradunt *Cajetan. in* 2. 2. *q.* 11. *artic.* 4. *in fine*. *Aragon. eadem quæst.* 11. *art.* 3. *in colum.* 8. *paulo ante versiculum*, *Sed dubium est*, *Hugolin. in tractatu de censurit Summo Pontifici reservatis*, 2. *par. cap.* 1. §. 1. *num. undecimo*. Quare *Suarez* 5. *tomo in* 3. *par. disputatione vigesima prima*, *sectione secunda*, *num. secundo*, dicens, hæresim purè mentalem non reservari hodie Summo Pontifici, eò quod ratione censuræ reservetur, addit circa Episcopalem reservationem consulendam esse consuetudinem, ut dijudicetur reservata sit, necne. Cæterùm quamvis nullatenus dubitem, sed omnino mihi certum sit, extendi Ecclesiasticam Prælatorum potestatem ad peccata purè interiora reservanda: existimo tamen quantumvis peccatum hæresis, aut alia quæcumque enormissima à quovis Prælato reserventur, nullo modo censeri reservari peccata merè interna, nisi indubitatis, atque expressissimis verbis declaretur peccata hujusmodi interna in reservatione comprehendi. Ducor, quòd cum alienum valde sit à prudenti, & suavi Ecclesiæ gubernatione, peccata interna reservari, (prout omnes fatentur) ea reservatio præsumenda non est, nisi expressis verbis declaretur. Sed sic non declarata est piè interpretanda de peccatis in actum externum prodeuntibus. Præterea, quia cum peccata interna sint, tum frequentissima, tum etiam occultissima, absurdum esset ea reservare. Ut benè tradit *Sotus num. præcedenti allegatus*. Imò esset culpa: ut tradit *Bartholomæus a Ledesma Summa Sacram. ubi de confessione*, *dubio* 16. *in fundamento* 2. *ad finem*. At in dubio non est præsumendum superiorem reservantem absurdè procedere, aut peccare. Et ità hanc partem sustinet *Alcozer*, *Summa cap.* 12. *puncto* 2. *doctrin.* 2. ubi & alios refert.

5 Dum tamen diximus hæresim in actum externum prodeuntem reservari ratione solius excommunicationis, non intelligimus solam excommunicationem, per se, & immediatè reservari, culpam autem solùm mediatè, & per accidens. Quia nimirum à peccato nullus absolvi potest, nisi priùs à censura absolvatur, ac proinde reservata per se, & immediatè censura censebitur mediatè, & per accidens peccatum reservari. Quod insinuant *Durand.* & *Cajet.* quos refert *Suarez* 4. *tomo in* 3. *part. disputat.* 29. *sectione* 2. *num. septimo*. Sed intelligimus non tantùm censuram, sed etiam peccatum, per se, & immediatè reservari. Quod allegatis aliis, & dicens esse communem sententiam, sustinet, & optimè probat *Suarez ea sectione* 2. *num.* 8. & *triplici sequenti*: Unde benè *numero decimo* ait absolutionem impensam hæretico externo, vel cuicumque affecto excommunicatione Pontifici reservata, esse irritam, sine legitima potestate absolventis factam, non tantùm quo ad censuram, sed etiam quo ad peccatum, quantumvis bona fides confessoris, & pœnitentis adsit. Unde peccatum illud est necessariò iterum fatendum. Quod secùs se haberet, si peccatum non esset reservatum; tunc enim maneret censura nova absolutione indigens, at absolutio peccati valeret, nec id iterum fatendum esset. Juxta veriorem sententiam dicentem valere absolutionem à peccatis, manente excommunicatione. Nec tamen negandum est quod omnes fatentur, nimirum sublata excommunicatione hæresis, vel cujuscumque peccati Pontifici reservati per potentem legitimè ab ea absolvere, posse quemlibet confessorem ab ea absolvere culpa. Nam, ut optimè ait *Suarez ea sectione secunda*, *numero undecimo*, sicut à principio, & velut in fieri ita connexa sunt censura, & peccatum, ut peccatum sine censura minimè reservetur, ita etiam conservari, sive in duratione sua eamdem connexionem habent, ita ut ablata censura censeatur reservatio culpæ sublata, & concessa potestate ad absolvendum à tali censura, censeatur concessa facultas ad absolvendum à tali peccato, & è contra. Quare si hæreticus ratione ignorantiæ censuræ excommunicationis, eam non incurreret, peccatum ejus posset à quovis confessario absolvi. Quòd non sit reservatum.

6 Quo autem excommunicatio incurratur, satis est hæresim verbo, signo, vel facto, quantumvis occultè, ac nemine præsente manifestari. Quia tunc hæresis est verè externa, ac per se, & suapte natura potest Ecclesiæ constare, & solùm per accidens occulta est, eò quòd nullus ei manifestationi internæ adfuerit. Atque ita docent *Angel. Sylvest. Tabiena*, *Armil. Cajet. utroque loco*, *Navar. triplici loco*, *Sotus utroque loco*, *D. Antonin. Covar. Simanc. num.* 7. *Castro utroque loco*, *Villagut. Martinus de Ledesma*, *Faludan. Driedo*, *Perez utroque loco*, *Vivald. utroque loco*, *Suar. ea sectione* 2. *numero secundo*, *Ludovic. Lopez utroque loco*, *Man. in Bulla*, & *in motu proprio*, *num.* 28. *Sayr. eo cap.* 4. *n.* 26. *Petr. de Led. concl.* 10. *Hugol. eo* §. 12. *n.* 6. & *eo.* §. 1. *n.* 17. *Toled. n.* 10. *Graff. n.* 4. *Steph. de Avila concl.* 2. *Azor. eo lib.* 8. *c.* 10. *q.* 4. & *eo lib.* 5. *cap.* 10. *q. unica*, *vers. His constitutis*, *Aragon. eodem art.* 3. *fol.* 340. §. *Sed dubium est*, *versic. Hoc suppposito*, *Bannez. eod. dub.* 2. *concl.* 2. *Burs. ubi eos allegavi*, *n.* 2. *Vasq.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 169. *cap.* 2. *num.* 22. At utrum hoc sufficiat ad alias pœnas incurrendas, non constat. Nam *Sot. lib.* 1. *de just. quæst.* 6. *column.* 7. *vers. At quoniam*, fatetur hæreticum hunc ita per accidens occultum incurrere excommunicationem, ait tamen durissimum esse opinatu eum incurrere pœnas civiles juris. Et *Cantera in suis quæst. crim. titul. de quæst. tangentibus punitionem delicti*, *cap.* 1. *n.* 18. ait quando delictum probari nequit, non incurri pœnam confiscationis, Cœterum dicendum est, hujusmodi hæreticum quamtumvis per accidens occultum incurrere universas hæreticorum pœnas. Quod apertè indicat *Sotus eo art.* 6. *concl.* 4. ubi ait, confiscationem retrotrahi ad diem, qua quis hæresim consultò asseruit. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *fol.* 344. §. *Jam dicendum nobis erit*, enarrat pœnas hæreticorum, & concludit hæreticos, qui suam hæresim exteriùs protulere, esse, qui his pœnis subjiciuntur. Et *Hugolin. tract. de censur. Eccles. tabul.* 1. *cap.* 9. §. 12. *num.* 6. ait hæreticos per accidens occultos legibus puniri. Et *Joan. à Medina de rest. quæst.* 1. §. *Post rerum dominium vers. Ad propositum igitur*, & *Graff. in suis decis.* 1. *part. lib.* 2. *capit.* 9. *n.* 4. ajunt hunc amittere bona. Atque illum incurrere omnes pœnas, tradunt *Cordub. in suo quæst. lib.* 1. *qu.* 36. *opin.* 3. *versic. Confirmatur secundò*, *Simanc. de cath. instit. tit.* 42. *n.* 7. *Navar. summ. Lat. c.* 27. *n.* 56. *Burs. cons.* 289. *n.* 13. *vol.* 3. *Villagut. de extens. leg. tit. de extensione legum pœnalium inflictarum hæreticis ad eorum filios*, *num.* 101. *Vasq. hic alleg.* Et ratio est, quia etsi ad exequendam pœnam ipso jure latam exigatur probatio delicti, & processus judicialis, id tamen non exigitur ad illam incurrendam, sed sat est delictum esse externum.

7 Sed non sufficit quodcumque verbum, aut signum, aut scriptum, ut per illud hæresis manifestata, ac externa censeatur, sed triplex conditio debet concurrere. Prima est, ut verbum illud, sive scriptum, sive signum, manifestet sufficienter hæresim internam, ita ut si aliquis adesset, posset illam percipere. Sive ex se eam manifestet, sive ratione temporis, aut circumstantiarum concurrentium. Quando enim sic non manifestat hæresim, ita occulta est per se, ac si interna prorius esset. Sic tradunt *Navar. c. Cogitationis*, *num.* 10. *corollario* 2. *de pœnit. dist.* 1. *Cordub. in quæst. lib.* 4. *quæst.* 13. *opinione* 3. *versicul. Tertio corollar. Bannez.* 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dubio* 2. *argument.* 3. *contra* 3. *conclusionem*, *Enriquez. lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 14. *n.* 6. *Vasq.* 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *disputatione* 160. *in capite quinto num.* 20. & 21. *Hugolinus de censuris Papæ reservatis* 2. *part. cap.* 1. §. 1. *n.* 17. *Petrus de Ledesma* 2. *tomo Summ. tractatu* 1. *c.* 6. *post* 10. *conclusionem*, *difficult.* 2. *Emmanuel Sà Summa*, *verbo Excommunicatio*, *in expositione Bullæ Cœnæ n.* 3. & *Doctores omnes*, quos *nu. sequenti* referam. Secunda conditio est ut actus ille exterior sit de se malus, & mortalis, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi quantitatem. Quia cum excommunicatio, & cæteræ aliæ pœnæ graves, quales sunt hæreticorum, non imponantur, nisi ob peccatum mortale externum utpote quod solum potest Ecclesiæ constare, oportet ut id peccatum mortale sit, prout per actum externum manifestatur, qui solus Ecclesiæ jurisdictioni in foro externo subest. Sic *Enriquez*, & *Emmanuel Sà ibidem*. Atque alio in simili idem tradunt alii Doctores dicentes non incurri excommunicationem percussionis clerici, quando externa percussio est levis, & venialis, etsi mortalis sit ob pravum percutientis animum. Hi sunt *idem Enriquez lib.* 13. *de excommunic. cap.* 17. *n.* 2. *Gutier. quæst. canon. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 13. *Manuel.* 1. *tomo Summ. in editione*, *cap.* 80. *n.* 8. Tertia conditio est, ut actus ille externus sit consilio hæresis. Ut constabit ex dicendis à *nu.* 17.

8 Ex prima conditione deducitur primò, non censeri hæreticum externum, qui hæresim manifestat per actus indifferentes soli sibi hæresim significantes. Ut si dum hæresi interiùs assentitur, femur percutiat, vel dicat hæc sola verba, *ita est*, aut alia verba, aut signa exprimat, aut facta operetur, quæ de se non sunt magis indicia falsi, quàm veri assensus. Ratio est, quia etsi actus ille exterior sit malus malitia hæresis, at quia eam malitiam non habet ex objecto, sed quia nascitur ex malo animo, cujus animi malitia per se occulta est, nec aliquo modo Ecclesiæ insinuata per talem actum externum, inde est, ut ejus hæresis malitia reputetur, ac si merè interna esset, quo ad pœnas incurrendas. Hoc est contra aliquos, quos tacito nomine refert *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *inst. moral. ca.* 9. *quæst. ult.* dicentes tunc incurri. Sed *Azor. ibidem*, & *Sayr. in Thesauro casuum*, *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 26. tenent nostrum corollarium tamquam valde probabile. Idem sequuntur *Bannez*, & *Petrus de Ledesma*, *Vasquez numero præcedenti allegati*. Atque idem tenentur dicere *omnes ibi in* 1. *conditione allegati*. Et idem benè dicit *Petrus de Ledesma ibidem*, si assentiens quis huic hæresi internæ, *Christus non est homo*, hæc sola verba proferat. *Verè non est homo*. Quia ea à quocumque audita nullam hæresim manifestant, sed indifferentia sunt.

9 Secundò deducitur, nec esse hæreticum externum, si hæreticus mentalis scribat aliqui verba amicitiæ, vel mutuet pecunias, aliave beneficia in ipsum conferat, quò amicitia cum illo inita, possit faciliùs illum ad suam hæresim trahere. Quia omnia hæc sunt de se indifferentia, nec hæresim internam exprimunt. Sic *Cordub. n.* 7. *allegat.*

10 Tertiò deducitur, nec esse hæreticum externum, si scribat hæresim quibusdam caracteribus, vel notis, quæ vulgo *cifra* vocantur, impositis à se ipso ad sibi soli significandum, & talia sint, ut à nullo alio intelligi valeant. Quia adhuc hæresis manet intra hæretici mentem, nec ab alio intelligi potest. Cum ea signa de se illam non explicent.

11 Quartò deducitur, quoties quis est hæreticus, eò quòd falso putans aliquam propositionem esse de fide, cum revera non sit, contrarium tenet, vel quia ita suam opinionem sustinet, ut paratus sit ad non acquiescendum Ecclesiæ contrarium docenti, vel quia non credit rem, quam putat à Deo sibi revelatam, esse juxta dicta *capit. præcedenti*, *à numero vigesimonono*, *usque ad trigesimum secundum*, non sufficere, ut sit hæreticus externus, si illam propositionem, quam falsò putat hæreticam, vel quam paratus est tenere ac de fide, etsi contrarium doceat Ecclesia, vel quæ est contraria revelationi sibi factæ, exteriùs proferat, nisi simul etiam dicat se existimare contrarium esse de fide, vel contrarium sibi à Deo revelatum explicet, vel illam etiam pravam præparationem. Ratio est, quia cum his circumstantiis tacitis id, quod exteriùs asserit, non est contra fidem, nondum suam hæresim manifestat.

12 Quintò deducitur, si quis sit hæreticus juxta modum dictum *cap. præcedenti*, *num.* 33. eò quòd negat propositionem Theologicam, ut *Christus est risibilis*, errans in vera Christi humanitate, quam non credit, eum esse hæreticum externum, si exteriùs solum proferat Christum non esse risibilem. Quia cum (ut *ibi* diximus) non præsumatur errare in principio naturali, nec in consequentiæ illatione sed in propositione de fide (prout verè errat in ea) sufficiens hæresis in mente retentæ indicium præbet, ut sic ex ea propositione procedere possit contra illum Ecclesia. Nam ideò *Clement.* §. *Verùm*, *de hæretic.* excommunicantur Inquisitores, odio, vel amore, &c. procedente contra quem debent; quia ex ea injustitia externa præsumit probabiliter Ecclesia pravum affectum internum. Ut optimè id expendit *Navarr. c. Cogitationes*, *n.* 8. *de pœnit. dist.* 1.

13 Sextò deducitur, hæreticum eò quòd res fidei esse dubias credat, fore externum, si dicat de rebus fidei se dubitare, quamvis non dicat esse dubias. Quamvis enim solum dubium absq; eo judicio non constituat hominem hæreticum, (ut diximus *c. præcedenti n.* 12.) & hic solam suam dubitationem explicet. At cum moraliter (ut *eo n.* 12. *in fine* diximus) cum ea dubitatione sit conjunctum id judicium reddens hominem hæreticum, ea verba vehementem hæresis præsumptionem inducunt, ac sufficientem, ut Ecclesia possit id judicium præsumere, ac procedere contra illum ac hæreticum.

14 Septimò deducitur, qui ex interna hæresi prodiret in blasphemiam non hæreticalem, minimè dici hæreticum externum. Ut si credens Deum esse tristitiæ capacem, aut amissionis vitæ, aut non esse potentem, prorumperet in hæc verba blasphema: *Pœniteat Deum*, vel *non sit potestas Dei*, vulgo, *Pesete Dios*, *ono nya poder Dios*: vel *per Dei vitam*, non esset hæreticus externus. Quia ea verba nullam hæresim important, cum non sint indicativi modi, nec hæresis præsumptionem inducunt, sed solùm quando sunt blasphemiæ hæreticales. Et ideò de illis non cognoscunt inquisitores fidei, sed judices ordinarii. Ut multis citatis tradit *Rojas de hæretic. secunda parte*, *assertione* 12. *n.* 171. Quando autem sint blasphemiæ hæreticales, dicemus *hoc secundo libro*, quando de blasphemia egerimus.

15 Octavò deducitur, esse hæreticum externum, qui factis, ex quibus præsumptio hæresis oritur, suam internam hæresim explicat. Ut si credens baptismum iterandum rebaptizet. Quia ex eo actu præsumitur sufficienter hæresis. Sic alios referens *Julius Clarus libro quinto receptarum*, *in practica crimin.* § *Hæresis n.* 24. *Hugolinus de censuris Papæ reservatis* 2. *part. c.* 1. §. 1. *num.* 17. Idem ait *Hugolinus*, si quis credens Ecclesiam non posse esum carnium interdicere, illis in diebus prohibitis vescatur. Quod & exemplum rebaptizationis intelligerem, quando ex circumstantiis concurrentibus, posset jure optimo hæresis præsumptio oriri, & non oblivionis, aut ignorantiæ, aut justæ causæ. Non autem esset hæreticus externus, qui credens fornicationem licere fornicaretur. Quòd fornicari nullatenus hæresim sapiat, nec quisquam inde hæresis suspitionem concipit. Ita *Vivaldus candelabro sacrament.* 2. *part. in Bulla Cœnæ*, *n. secundo*, *in edit. anni* 1595.

16 Nonò deducitur, non tantùm ex commissione facti sapientis prodi sufficienter hæresim internam; sed etiam quandoque ex omissione. Ut tradunt *Cajetan.* 2. 2. *quæst.* 11. *articul.* 4. *versicul. Ex his siquidem*, *Toledo Summa*, *in expositione Bullæ Cœnæ*, *excommunicatione* 1. *numero decimo*, *Sayr. thesauro casuum tomo* 1. *libro* 3. *cap.* 4. *num.* 30. qui benè exemplum hujus adhibet. Ut si quis ex hæresi interna omitteret ea opera, quorum omissio, vel ex natura sua, vel ratione temporum, & hæresum tunc vigentium, hæresis præsumptionem induceret: Ut si quis numquam templum ingrederetur: vel dum elevatur Eucharistia, non genuflecteret. Quare dum *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *institut. moral. cap.* 9. *quæst. ult.* ait non sufficere prodi hæresim internam per hos actus, quando quis coram Sacramento caput non aperit, aut genu non flectit: intelligendus est, quando eæ circumstantiæ concurrunt, ut si quis adstaret, jure optimo id oblivioni, aut inadvertentiæ tribuere posset. Secùs quando attentis circumstantiis concurrentibus, hæresis præsumptio concipi meritò posset.

17 Decimo deducitur ex 2. & 3. conditionibus *numero* 7. positis, si quis motus hæresi interna, qua putat licere esum carnium diebus prohibitis, tantillum carnium tunc ederet, cujus quantitatis esus ratione parvitatis materiæ est venialis, non esse hæreticum externum: etsi attentis circumstantiis concurrentibus, quando esset in notabili quantitate esus, oriretur sufficiens hæresis indicium, juxta dicta *numero* 15. Quia id factum externum non est mortale, nisi per solam relationem ad actum internum. Constat ex Doctoribus, quos *numero septimo* allegavi, & ex ratione *ibi* tradita in secunda conditione.

18 Undecimò deducitur, nec esse hæreticum externum, qui hæresi interna motus exercet bona opera, aut mala omittit, quæ hæreticorum secta, quam amplectitur, facienda, aut omittenda præscribit. Quod hæc non hæresis, sed boni viri indicia sint. Ita *Sayr. thesauro casuum tomo* 1. *libro* 3. *cap.* 4. *numero* 30. Quod intelligo, nisi in hæreticorum oppidis ea bona faceret, aut mala omitteret, iis circumstantiis ut reliqui inde eum hæreticum deprehenderent.

19 Duodecimo deducitur, non censeri hæreticum externum detegentem hæresim in confessione sacramentali. Quòd actus hic, & optimus sit, & quodammodo alterius rationis, & extra judicium humanum. Ita *relato Victoria* docent *Simancas de catholic. instit. titul.* 42. *n.* 9. *Covar. regula Peccatum* 2. *part. in initio num.* 7. *in fine*, *Cordub. in q. lib.* 4. *qu.* 13. *opinione* 3. *versic. Tertiò corollarie*, *Gutier. q. canonic. lib.* 1. *cap.* 13. *numero* 9. *Sayr. d. c.* 4. *num.* 28. *Azor. to.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 10. *quæst.* 5. Hoc extendit *Sayr.* ut habeat verum, quamvis hic nec hæresim deferat, nec corrigi paratus sit. Quia hic actus est extra judicium humanum. At meliùs docent contrarium *Covar. Corduba*, & *Azor.* dicentes requiri, ut hic bono animo fateatur. Quia alias non est confessio, sed confessionis simulatio, nec est actus bonus: nec sigillum obligat. Nec tamen credo esse necessarium, ut fateatur dolens, & ab hæresi resipiscens. Quamvis id petant *Covarr.* & *Azor.* Sed satis esse credo, ut quamvis de peccato hæresis non doleat, nec illam relinquat, accedat bono animo ad eam confessori detegendam, quò consilium petat. Quod solùm videtur petere *Cordub.* Quia etsi non sit sufficiens ad sigillum sola consulendi propter animæ bonum intentio, sed sit necessaria intentio se accusandi coram judice à Christo constituto: (ut alios allegans probat benè *Suarez* 4. *to. in* 3. *part. disput. trigesimatertia*, *sectione secunda*, *numero septimo*.) at actus hic optimus est, nec manifestatur hæresis per actum malum.

20 Imò qui amico, aut inquisitoribus hæresim internam manifestaret, non animo hæresis asserendæ, sed capiendi consilii ad animæ suæ bonum, non censeretur hæreticus externus. Quòd is actus bonus sit, nec hæresis professionem sapiat, sed potiùs detestationem. Hæreticus enim non profert eam hæresim, asserendo illam. Ita docent *Victoria*, *Covar. Simancas*, *Gutier. Sayr. num.* 29. *Azor. numero præcedenti allegati*, *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 11. *artic*, 3. *colum.* 7. *versic. Sed dubium est. Emmanuel Sa Summa*, *verbo Excommunicatio*, *in Bulla Cœna*, *numero* 3. *Azevedo libr.* 8. *Recepil. tit.* 3. *l.* 1. *n.* 156. Atque idem dicendum est, quando alterius rei honestæ causa hæresim illam detegit. Ut benè docet *Aragon. ibi*. Quia actus est bonus, nec sit animo asserendæ hæresis. Atque proinde militat eadem ratio. Hæc limitat *Azor.*, quando consilii capiendi gratia hic manifestaret hæresim, in qua olim fuit. Secùs si asserat nunc quoque se esse in ea hæresi. Sed displicet limitatio. Quia adhuc actus ille exterior bonus est, cum ad capiendum consilium in animæ bonum fiat, & non ad profitendam hæresim. Sicut optimus actus esset, si quis viro prudenti, ac pio aperiret se in concubinatu esse, ut ab eo consilium petat. Alii limitant, ut intelligatur, quando virum illum doctum consulit, ut ab eo doctus acquiescat Ecclesiæ: secùs si animo non acquiescendi Ecclesiæ, sed viro illi privato. Ita *Bannez* 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 4. *dubio* 2. *in solutione ad* 5. *contra* 2. *conclus. Petrus de Ledesma* 2. *tem. Summ. tractat.* 1. *c.* 6. *post* 10. *conclus. diffic.* 4. Sed nec hæc limitatio placet. Nam cum mens illa in hæretici mente lateat, nec exteriùs aliquo modo explicetur: & externus petendi consilii actus bonus sit, nec ad profitendam hæresim ordinatus: non video cur hunc hæreticum externum, ac pœnis subiectum constituat.

21 Decimo tertiò deducitur, si quis joco, vel ex ignorantia, se olim aliquid contra fidem credidisse dicat: hunc autem minimè credere, non esse cum hæreticum externum. Quamvis aliqui teste *Azor. tom.* 1. *libro* 8. *inst. moral. cap.* 10. *quæst.* 6. contrarium dicant. Ratio est. Quia non quævis verba sufficiunt ad hæresim externam, sed ea quæ hæresim internam præsentem declarant, ita ut animus, & sermo consentiant: & id quod mente concipitur, sermo depromat. Sicut nec est fornicari, nec pejerare, quempiam dicere se aliquando fornicatum esse, aut pejerasse. Item, quia in hac externa confessione nec peccat, nec ex errore concepto operatur. Sic *Victoria*. ut referunt dicentes forsan benignitatis gratia id defendi posse, *Simancas de Cath. inst. tit.* 42. *num.* 10. & *Azeved. libro* 8. *Recepil. tit.* 3. *libro* 1. *num.* 157. & tenent *Azor. ea quæst.* 6. & *Sayr. thesauro cas. tomo* 1. *libro* 3. *cap.* 4. *num.* 31. *Suar.* 5. *tomo in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 2. *nu.* 14. Qui tamen hoc limitat, quando non animo cofitendi eumdem errorem, nec complacendi in eodem delicto id assereret. Sed non placet hæc limitatio, quo ad animum complacendi. Quia adhuc hic non profert hæresim præsentem. Stat enim eum esse nunc Catholicum, & tamen eum non pœnitere hæresis præteritæ, sed de illa gaudere. Placet tamen quando animus esset nunc profitendi illam eis verbis, & ex dicendi modo de hoc constaret. Quippe etsi verba solam præteritam hæresim indicent: at animus tunc ejusdem hæresis profitendæ ex dicendi modo significatus continet hæresim præsentem exteriùs professam.

22 Decimoquartò deducitur, hæreticum internum non exprimentem se credere hæresim, sed tantùm habere propositum in illam, aut in apostasiam incidendi, non esse externum, quamvis ob id propositum puniri possit. Quia hoc non est formaliter profiteri, ac exprimere hæresim, sed propositum futuræ sectæ, cum quo stat eum nunc esse Catholicum.

23 Decimoquintò deducitur, non esse quempiam hæreticum externum, legendo, narrando, disputando, vel alienos libros, aut tabellas transcribendo, si hæresim, quam antea conceptam retinebat, lingua pronuntiet, non quidem voluntate eam confirmandi, aut exprimendi, sed tantùm gratia legendi, disputandi, transcribendi, & narrandi. Quia non profert, nec transcribit illam hæresim, quasi ex proprio marte, sed ut alienam. Ita *Cord. in quæst. l.* 4. *q.* 23. *opinione* 3. *vers. Tertio corollariè. Azor. to.* 1. *l.* 8. *institut. moral. c.* 10. *q.* 7. *Emman. Sa Sum. verb. Excommunicatio*, *in Bulla Cœna*, *n.* 3.

24 Decimosextò deducitur, quid dicendum sit de pronuntiante hæresim internam tempore somni, vel ebrietatis. *Pet. de Ledesma* 2. *tomo Sum. tract.* 1. *cap.* 6. *post* 10. *conclusionem diffic.* 5. dicit olim se tamquam rem certam tenuisse hunc esse hæreticum externum, si expertus erat in somno, vel ebrietate se illam explicare: nec id cavit, secùs quando non solitus erat. Quòd in priori casu hæresis illius externa pronuntiatio voluntaria esset; non autem in posteriori. At nunc ait probabilius sibi videri in neutro casu esse hæreticum externum. Et ita ego sentio. Nec obstat percutientem, ebrietatis aut somni tempore, clericum, quando id expertus erat à se fieri, nec præcavit, non evadere excommunicationem. Quia percussio clerici ex se est opus externum excommunicationi subjectum, dummodo sit voluntaria in se vel in causa. At hæresis externa numquam excommunicationi subjicitur, nisi quando ab interna procedit. In hoc autem casu non procedit ab interna, sed ex prava consuetudine.

25 Decimoseptimò deducitur, eum qui fatetur se quondam in hæresim interiùs consensisse, non dici hæreticum externum ex hac sola confessione. Quippe fateri se in hæresim consensisse, non est peccare exteriori hæresis peccato, nec hæresim profiteri: ac proinde peccatum hujus secundùm peccati rationem perseverat omnino interiùs. Ad incurrendas autem pœnas est opus, ut hæresis in exteriorem peccati materiam prodeat, & aliquo signo externo profiteatur ille se in hæresi permanere. Atque ita docet *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *articulo* 4. *disput.* 160. *cap.* 5. *num.* 22.

26 Tandem si quis animo hæretico ita verba componat, vel amphibologicè eis utatur, ut possit subterfugere, est verus hæreticus exterior. Quia illa fictio non minuit culpam, sed per accidens occultat. Ita *Suarez* 5. *tem. sin* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 3. *numero* 17.

CAPUT IX.

De excommunicat. in hæreticos lata.

SUMMARIUM.

Hæretici justè puniuntur, & coguntur fidem retinere, num. 1.
An jure divino sint excommunicati; & fuerit hæc excommunicatio reservata? num. 2.
An omnes hæretici censeantur nominatim excommunicati, & vitandi? num. 3.
Quid si quisquam de hæresi damnatus sit; aut de alio crimine, cui constat annexi excommunicationem: non tamen sit declaratus excommunicatus? num. 4.
An conversantes cum hæreticis, in Anglia, Germania, & aliis hæreticorum locis, peccent? num. 5.
An hæreticum publica Ecclesiæ voce notum, ut Lutherum, vitare teneamur? num. 6.
An liceat Catholicis cum hæreticis commorantibus, simul cum illis orare, rei divinæ interesse, illorum funus comitari? n. 7.
An liceat eorum templa adire, ibi preces fundere, rem sacram, & conciones hæreticas audire? n. 8.
An liceat cum eis matrimonium inire, etiam ea lege, ut quidam filii in fide, alii verò in hæresi educentur? n. 9.
An liceat à suis parochis hæreticis Sacramenta recipere, nec hæretici jurisdictione ante denuntiationem priventur? n. 10
An hæreticorum filii possint ad Catholicorum scholas admitti? numero 11.
An fas sit Catholico filium hæretici de sacro fonte suscipere, aut hæreticum patrinum sui filii adhibere? n. 12.

1 Fide Catholica tenendum est, justissimè hæreticos ab Ecclesia puniri, ac cogi ad fidem in baptismo susceptam retinendam. Quod ultra alios variis Scripturæ, Sanctorum testimoniis, ac rationibus optimè probant *Valent.* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 11. *puncto* 3. *Azorz. tom.* 1. *lib.* 8. *inst. mor. c.* 13. *post. q.* 8. *in ultima hæresis pœna*.

2 Prima ergo, & potissima hæreticorum pœna est, excommunicatio latæ sententiæ. Quam etsi nonnulli, quos refert *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *instit. moral. c.* 10. *q.* 2. dicant esse de jure divino: meritò alios referes ab eis discedit. Quare dicendum est solo jure Ecclesiastico latam esse, antiquissimo tamen. Ut constat ex *c. Achantius* 24. *q.* 1. & *c. Ad abolenda* & *c. Excommunicamus*, *el* 1. *de hæret. c. Noverit, de sentent. Excommun. c. Quicumque, de hæret. in* 6. At ante Bullam Cœnæ non erat excommunicatio hæc Pontifici reservata. Ut fatentur omnes cum *Cajet. sum. verb. Excommunicatio cap.* 1. At jam in 1. *Excommun. Bulla Cœna* excommunicantur omne hæretici, & apostatæ à fide, atque absolutio Pontifici reservatur.

3 Atque excommunicationem hanc tanti esse momenti quidam asserunt, ut propter illam omnes hæretici censeantur nominatim excommunicati, ac vitandi. Idque probant ex *c. sicut, de hæret.* & *c. Si quem fortè*, 24. *quæst.* 1. Ita *Sotus* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *post.* 3. *conclusionem*, *versiculo*, *Hic tamen*, & *artic.* 3. *columna* 9. *versicul. In ordinatione. Et d.* 20. *qu.* 1. *articul.* 5. *conclusione* 2. ubi idem ait de schismaticis. At tenendum est, nil speciale contineri circa hoc in hac excommunicatione, sed si solam eam attendamus, minimè interdici communicatione cum hæreticis, & schismaticis, donec nominatim denuntiati sint. Quia favor Consilii Constantiensis omnibus fidelibus concessus non vitandi excommunicatos, qui non sunt denuntiati, aut notorii clericorum percussores, hæreticos quoque comprehendit. Utpote qui generalis est. Ut optimè docuit *Suarez* 3. *tomo in* 3. *par. quæst.* 65. *articulo* 4. *disputazione* 18. *sectione* 1. *columna quinta*, *notabili* 3. Idem. *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *instit. moral. capi.* 13. *quæst.* 7. Nec obstant textus in contrarium adducti. Quia loquuntur ante prædictum decretum. Nec censentur etiam nominatim excommunicati, ac vitandi, Lutherani, & alii specialium sectarum, expressi specialiter in 1. *excommunicatione Cœnæ*, donec nominatim denuntientur. Quia ea denuntiatio generalis est. Et ita docent *Toledo in Summa*, *in* 1. *excommunic. Cœna numero* 12. *Hugolinus de censuris Papæ reservatis* 1. *part. cap.* 14. *in fin. Sayr. Thesauro cas.* 1. *tomo lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 32. *Zavallos qu. practicis*, *qu.* 698. *num.* 16.

4 Major difficultas est de hæretico, in quem lata est sententia eum hæreticum declarans. Quidam dicunt hunc statim esse vitandum, tamquam nominatim excommunicatum. Quia cum hæresi annexam esse excommunicationem manifestum sit, perinde est aliquem hæreticum declarare, ac excommunicatum: atque is talis sententiæ scopus videtur. Ita *Sotus libro* 9. *de justitia*, *quæst.* 1. *articulo* 8. *ad* 1. *in fine*, & 4. *distinctione* 1. *quæst.* 5. *articulo* 6. *post* 8. *conclusionem*, *versic. At verò*, & *distinctione* 13. *quæst.* 1. *articulo* 9. *versiculò Verumtamen*, & *distinctione* 22. *quæst.* 1. *articulo* 4. *paulo post principium*, *versiculo Tertior autem*, *Petrus de Soto de excommunicatione*, *lectione* 4. §. *Jam verò*, *Metina C. de confessione*, *quæst. de confessione scienter facta excommunicato*, §. *Per hæc patet*, *Gutierez quæst. canonic. libro* 1. *capit.* 1. *num.* 42. *Enriquez libro* 13. *de excommunic. capit.* 5. *numero* 4. & *libro* 9. *de Missa*, *cap.* 15. *numero quarto*, *Manuel.* 1. *tomo Summæ*, 2. *editione*, *cap.* 82. *numero* 6. & *in Bulla*, §. 9. *numero* 28. Imò *Sotus eo articul.* 6. *post* 8. *conclusionem*, *versicul. At vero*, *Gutierez eodem numero* 42. *Manuel. utroque loco. Enriquez eod. cap.* 5. *numero quarto*, *Suarez* 5. *tom. in* 3. *part. disputatione* 9. *sectione secunda*, *numero decimo*, docent idem de damnato ob quodcumque aliud crimen, cui certum, & indubitatum est, annexi excommunicationem. Sed quamvis hoc probabilissimum sit, mihi probabilius est, non censeri tunc nominatim excommunicatum, nec esse vitandum, donec expressè denuntietur excommunicatus. Ducor, quia in eo decreto Concilii Constantiensis dicitur neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura fuerit à judice denuntiata contra personam specialiter, & expressè. At quoties quis denuntiatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annexi, non est denuntiata contra personam specialiter, & expressè, sed solùm virtute, & per quamdam consequentiam. Secundò, quia cum decretum in animarum favorem emanarit, potiùs est extendendum, ut requiratur expressa, & formalis censuræ declaratio; quàm restringendum, ut sat sit tacita; eò vel maximè, quòd cum multi annexam illi crimini excommunicationem esse ignorent: eisdem conscientiæ periculis, & dubiis subjicientur, si ea solius criminis declaratio obliget ad vitandum. Et ideò hanc partem tuentur *Navarr. cap. Quando*, *de consecr. dist.* 1. *Latinè in* 1. *editione c.* 22. *num* 6. & *in* 2. *in Miscellan.* 47. *de oratione*, *numero* 2. *Grassis in decision*, 1. *part. libr. quarto*, *capit.* 11. *nu.* 5. *in fine*. Imò idem sentio, etsi in sententia declaretur illum esse hæreticum, aut alterius criminis reum, ac incurrisse omnes illius pœnas. Quia adhuc non est specialiter, & expressè denuntiata excommunicatio. Nec sufficeret eadem ratione, si diceretur incurrisse omnes censuras. Et quia adhuc multi excommunicationem in eis comprehendi nescirent.

5 Hinc deducitur primò, catholicos in locis hæreticorum, ut in Anglia, Germania, Gallia, &c. cum illis conversantes, nullatenus peccare. Quia etsi hi hæretici sint notorii, non tamen sunt denuntiati. Et quamvis nonnulli omnes notorios excommunicatos vitandos esse dicant; juxta quoddam Basiliensis Concilii decretum: at communior, & verior sententia habet standum esse decreto Concilii Constantiensis, solos notorios clerici percusores, & denuntiatos excommunicatos vitare jubentis. Ut in tractatu *de excommunic.* traditur. Atque ideò nostrum corollarium docent *Navarr. libro* 5. *consil. tit. de haret. in* 1. *editione*, *cons.* 15. *numero* 2. & *toto consil.* 16. *in* 2. *cons.* 10. *numero secundo*, & *toto consil.* 12. *Azor. tomo* 1. *libr.* 8. *institution. moral. cap.* 11. *quæst.* 1. Quamvis *idemmet Navarr. libr.* 1. *consil. in utraque editione*, *titul. de const. consil.* 1. *qu.* 14. & *in summa capit.* 27. *numero* 35. *in fine*, & *Petrus de Ledesma secundo tom. Summæ*, *tractat. tertio*, *capite primo*, *post. duodecimam conclusionem*, *difficult. quarta*, trepident, & dicant hoc esse probabile, & posse sustineri ratione necessitatis. At verius est quod dixi.

6 Secundò deducitur, non satis esse publica Ecclesiæ voce notum esse hæreticum, ut necessariò vitandus sit. Quales fuere sectarum auctores, ut Lutherus, Calvinus. Quia etsi hic notorius hæreticus sit, non est tamen denuntiatus excommunicatus. Quamvis hunc vitandum esse tradat *Enriquez libro* 9. *de missa cap.* 15. *numero* 4. *in comment. lit. A.* Sed id mihi non placet.

7 Tertio deducitur, licere catholicis simul cum hæreticis nondum denuntiatis orare, reique divinæ interesse, & hæreticorum funus comitari, eosque ad sepulturam deducere. Quia cum denuntiati non sint, nemo tenetur eos vitare: Et sicut licet cum hæretico vivo nondum denuntiato communicare, comitando eum ad rem licitam, sic cum mortuo, deducendo eum ad sepulturam. Quod est per se licitum. Ita *Navar. libr.* 5. *consil. titul. de hæretic. in* 1. *editione cons.* 15. *num.* 3. & 4. & *consil.* 16. *num.* 7. *in* 2. *consil.* 10. *num.* 2. & 4. & *cons.* 12. *numero* 7. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *inst. moral. cap.* 11. *quæst.* 4. Quod intelligitur primò, dummodo non fiat animo favendi hæreticis, ut hæretici sunt. Quippe hoc ita intrinsecè malum est, ut nulla ratione, nullove timore excusari possit. Ut benè docet *Navar. eod. cons.* 16. *numero* 8. & 9. & *eodem cons.* 12. *numero* 8. & 9. Secundò intelligitur dummodò id citra scandalum, & catholicorum offensionem fiat, ac rituum hæreticorum communicationem. Sic *Azor. ibidem*. Tertiò, dummodo hæreticus in loco prophano sepeliatur; nam si in sacro, id non liceret. Quippe non comitarentur ad rem licitam, sed interdictam, *c.* 1. *in initio*, *de haret. in* 6. & ita cooperarentur sepelientium peccato. Sic *Navar. eo cons.* 16. *n.* 8. & *eo cons.* 12. *n.* 8.

8 An verò liceat iisdem catholicis adire templa hæreticorum, rem sacram ibi audire, ac conciones hæreticas & preces ibi fundere: Dixi *hoc* 2. *l. c.* 4. *n.* 26.

9 Matrimonium tamen non licet ex se in iis etiam locis inter catholicos & hæreticos inire: non quidem ratione excommunicationis, quæ solos denuntiatos vitare constringit. Sed quia jure Ecclesiastico est id specialiter interdictum. At ratione consuetudinis jam in iis locis præscriptæ id ibi licet, dummodo conjux catholicus christianè vivere permittatur, nec perversionis periculum subeat. Nectiquam tamen licent pacta inter eos iniri solita, ut quidam ex filiis procreandis educentur in fide, alii verò in hæresi. Quod aliis relatis probavimus *lib. septimo*, *de matrimon. disp.* 72. *n.* 5. & 6.

10 Quartò deducitur, licere catholicis in iis locis sacramenta recipere à suis parochis, & episcopis hæreticis. Quia solos denuntiatos excommunicatos tenentur vitare. Ita *Navar. lib.* 5. *cons. tit. de haret. in* 1. *edit. cons.* 15. *num.* 2. *in* 2. *cons.* 10. *n.* 2. Quod quidem intelligitur, quantum est ex parte excommunicationis. Quippe aliunde ex jure naturali, & divino erit obligatio eos evitandi, si inde oriatur scandalum, aut perversionis periculum, aut sacramenta ritibus hæreticis ministrentur. Insuper militabit in his vitandis ratio illa, quæ esse potest de vitando quocumque in peccato lethali ministrante sacramenta. Quod optimè docuit *Suarez* 3. *tom. in* 3. *pag. quæst.* 65. *art.* 4. *disp.* 18. *sect.* 1. *col.* 5. *notab.* 3. dicens ex vi solius hæresis, & seclusa Ecclesiæ censura, non esse directè prohibitum fidelibus recipere sacramenta ab hæreticis, sed eodem modo, quo à quolibet alio ministro iniquo, & eò strictiùs, quò iniquitas hæretici major est: majusque periculum proprium, & aliorum scandalum in communicatione cum illis. Quare cum favor Concilii Constantiensis solos excommunicatos denuntiatos vitare jubens, sit generalis, non erit (inquit) specialis, & directa obligatio non recipiendi ab illis sacramenta tamquam ab excommunicatis: sed illa sola, quæ potest esse de vitando iniquo ministro. Quare immerito ab hac opinione recedit *Azor. to.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. c.* 11. *q.* 7. dicens recipere sacramenta ab hæreticis prohibèri ob non solam censuræ rationem, sed etiam ob hæresim. Et probat, quia teste *D. Th.* 2. 2. *q.* 39. *ar.* 3. carent hæretici jurisdictione. Et *eod. teste* 3. *p. q.* 82. *ar.* 9. conferre nequeunt sacramenta. Cui favet *Sotus* 4. *d.* 20. *q.* 1. *ar.* 5. *concl.* 2. ubi dicit hæreticos, & schismaticos tamquam nominatim excommunicatos jurisdictionem amittere, & eorum absolutiones esse irritas. Sed *Sotus* non favet illi. Quia id non dicit ratione hæresis, sed quia putat omnes hæreticos censeri nominatim excommunicatos, & esse vitandos. Et loquitur consequenter. Si enim id ita esset, carerent utique jurisdictione. Sicut carent excommunicati denuntiati. At id fundamentum *numero tertio* reprobavimus, Et *idemmet Azor. eodem lib.* 8. *c.* 13. *q.* 7. hæreticos carere jurisdictione, quantumvis occulti sint, asserens, id non hæresi, sed excommunicationi tribuit. Quia (inquit) omnis excommunicatus, quamtumvis occultus, jurisdictione caret. Et si vitari non debeat propter Concilium Constantiense. Sed nullatenus hæc doctrina placet. Quia si solam hæresim attendamus, nullibi eos carere jurisdictione dicitur: nec ab eis recipere sacramenta interdicitur. Ut videtur fateri *ipsemet Azor. in hoc posteriori loco*. Quare prohibitio hæc, & amissio jurisdictionis ad censuram excommunicationis referenda est. At multò probabilius est (ne dicam certum) occultos excommunicatos, nec notorios, non amittere jurisdictionem post Concilium Constantiense, nisi denuntiati sint, aut notorii clericorum percussores. Ut communis, ac verissima sententia tradit in tractatu *de excommunicatione*. Quamobrem hæretici illam non perdent, donec nominatim denuntientur excommunicati. Unde quod *D. Thomas* 3. *pag. quæst.* 82. *articul.* 9. dixit ab hæreticis, & excommunicatis non posse recipi sacramenta, ait *ibi Cajetanus* fuisse verum ante Concilium Constantiense, non autem post illud, nisi quando denuntiati sint, aut notorii clericorum percussores.

11 Quintò deducitur, posse in locis hæreticorum filios eorum hæreticos ad catholicorum scholas admitti, quia denuntiati non sunt. Ita *Navar. lib.* 1. *consil. in utraque editione*, *tit. de const. cons.* 1, *quæst.* 27. *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 11. *quæst.* 8. *Petrus de Ledesma*, 2. *tomo summæ*, *tractat.* 3. *cap.* 12. *post* 11. *conclusionem*, *diffic.* 3. Addunt tamen benè *Navar.* & *Petrus de Ledesma*, non licere catholicorum filiis scholas hæreticorum adire, ob perversionis periculum.

12 Tandem deducitur, fas esse catholico in prædictis locis filium hæretici de sacro fonte suscipere: si baptismus ritu, & modo catholico ministretur; secùs si ritu hæretico, aut schismatico. Quia nullo jure interdicitur catholicum esse hæretici patrinum. Non tamen licebit catholico adhibere hæreticum filii sui patrinum. Quia cum patrini munus sit, puerum prima fidei rudimenta docere: interdictum est hæreticum id munus obire. Ita *Navar. eod. cons.* 1. *quæst.* 29. *Azor. eod. cap.* 11. *q.* 9. *Petr. de Ledesm. eodem ca.* 12. *in fine*.

CAPUT X.

De excommunicatione lata in credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum: & eorum libros legentes, tenentes, imprimentes, aut defendentes.

SUMMARIUM.

Credentes hæreticorum, ut excommunicationem incurrant, debent verbo aliquo, aut signo fidem illam habitam manifestare, n. 1.
Qui nomine credentium hæreticis comprehendantur? n. 2.
An credentes persona, non errori hæreticorum, sint excommunicati? num. 3.

Recè-